


Margaret Scott dal Padre mio
March 1858





DIONYSII LEBEI-BATILLII REGII MEDIOMATRICV̄ PRAESIDIS EMBLEMATA.

Emblemata a Iano Iac. Boiſſardo Veſuntino delineata ſunt,

Et a Theodoro de Bry sculpta, et nunc recens in lucem edita.

Francofurti ad Moenū

A°. cIↃ.IↃ. XCVI


Si Virtus, Doctrina, Vſus Prudentia charum
Efficiunt ſummis regibus eſſe virum.
DIONYSIVS LEBEꝰ-BATILLIVS PRÆSES REGIꝰ AP. MEDIOMAT.
Iſta tibi certe ſimul arrisere Bathylli
Qui partes tanti Regis in vrbe geris.

IN EFFIGIEM CLARISSIMI VIRI DIONYSII LEBEI-BATILLII REGII APVD MEDIOMATRICES *Præſidis.*

IANVS IACOBVS BOISARDVS Veſuntinus.

Expreſſos datur hic videre vultus,
Et doctum caput illius Lebei,
Vrbe qui celebri Tricaſsinorum
Ortus, Auſtraſiæ tenet tribunal
Præſes æquus, & integer ſacerdos
Arcanæ Themidis, ſacerque Legum
Interpres. Clarium augur huic Apollo
Ceſsit Barbiton. Huic Minerva mentis
Diuinæ è ſcatebris dedit profari
Dium dogma, per entheos receſſus
Deſcerptum è Sophiæ ſinu: annuitque
Per Emblemata culto & erudito
Picta carmine publicos in vſus
Divulgare hominum: & futurum in ævum
Clarum adquirere nomen: atque de omni
Humano genere optimè mereri.

CLARIS-

PRAEFATIO.

CLARISSIMO VIRO D. PHILIPPO MORNAEO-PLESSIACO, SANctioris, interiorisque regij Conſiſtorij Conſiliario, Regio Salmurienſi præfecto, &c.

DIONISIVS LEBEVS-BATILLIVS S. D.

IAM ab illo tempore, Vir clariſſime, quum, me ad Regem ad legatum, & ex Aquitania redeuntem, tam benignè, tam comiter regijs in caſtris excepiſti, ſic negotia mea ſuſcepiſti, ſic, meis in rebus, mihi te commodaſti, vt præ ter illam in conſuetudine & familiaritate ſuauitatem tuam, commendatio, auctoritas, gratia tua quæ ſumma eſt, conſilium, officium, ſtudiumque erga me tuum eximium & ſingulare, mihi non defuerit: inſtitueram hæc Emblemata mea, ſi quando ea colligere, & errantia in vnum velutque ſub vnum ſignum redigere liceret, tibi, nominique tuo dicata in lucem dare, vt teſtatum apud animum tuum relinquerem quam gratum apud hominem beneficium poſueris, quantum me tibi devinctũ confiterer, quæque quantaque, mea exinde in te obſeruantia futura eſſet, cum nunquam etiam viſum amare te, ſuſpicare, admirari, & cum veneratione quadam propter ſummum ingenium tuum, ſummamque doctrinam, probitatem, integritatem, cæteraſque virtutes tuas omnium ore predicatas, colere, nõ deſinerem. Sed cùm minùs dignum te, munus, minùs digna remuneratio, mihi, meæ tenuitatis cõſcio videretur, neq; neſcius eſſẽ quãdo favore & gratia ſcriptio omnis vt & ſermo & oratio, opus habeat, quam potiſsimùm ob cauſam ve-

teres Mercurio ſtatuam ponè Gratiarum ſimulachra collocare ſolebant. Expectabā omnino, meque ſuſtinebam, ne illa prius emitterem, quam ſatin' tibi placerent, judiciumque tuum accepiſſem. Quod ubi ſignificaſti literis tam honoratè ac honorificè, de me ad me ſcriptis, quamq́ue grata tibi eſſet, memoria tui, noſtra, neque te, neque illa diutius differre volui, jam, mihi ipſe hac autoritate teſtimonij tui, hoc inuitamento benevolentiæ tuæ, iam libellus hic, noſter viſus beatior, cuius frontem tam clarùm nominis tui inſideat ſidus, & à cuius ſplendore & lumine tantum illi lucis acceſſurum, quod ſatis ſit ad radium aliquem famæ retinendum, planè confidam. Tuum iam erit, factum iſtud tuum præſtare & tueri, ſicq́ue hæc arripere, vt ab optimo animo ac deditiſſimo tibi profata verè tibi per ſuadeas. Vale vir clariſſime, & me, quarum etiam rerum ad ſpem vocas harum fructu alacriorem redde, Auguſtæ Mediomat.

III. Nov. Feb. 1596.

PETRO NEVELETO-DOSCHIO TRICASS. I. C.

DIONYS. LEBEVS-BATILLIUS, Regius apud Mediomat. Præſes S.

PARAPHRASIN *quãdam meam in Emblemata mea ante tres annos à Theodoro de Bry, cum primum illa edenda ſuſcepiſſet, enixè expeti, tum ipſius tum D. Philippi Canaij-Freſnæi Regij tum ad Germaniæ Principes legati, perſcriptis ad me literis animaduerteram. Et cum non induceret, vt in hos alios ſtudiorum ſeceſſus excurrerem, memini & te & Freſnæum noſtrum ſuaſores mihi eſſe, vt viro de bonis literis tam egregiè*

merito, hac etiam in re ſatisfacerem, licet ſatis ipſa per ſeſe clara Emblemata mea vobis videri ſignificaretis. Itaque eam tandem adgredi inſtitui non vt interpretationem, ſed circa eoſdem ſenſus certamen atq; æmulationem: cum & M. Fabius Quintilianus nobis auctor ſit, vt ex induſtria ſumamus ſententias quaſdam eaſque verſemus quam numeroſiſsime, veluti eadem cera aliæ atque aliæ formæ duci ſolent, atque non aliena tantum transferre, ſed etiam noſtra pluribus modis tractare vtile eſſe, maxime ducat. De hac tu cognoſce, ſtatue, iudica. Nihil meum ac ne vix quidem verbum vnum meum reperies, cum mihi has ipſe leges impoſuerim, quæ ab aliis dicta ſunt ſic diſponere, vt ſolent pictores varietatem colorum: atque idipſum tamen, non vt libuit, ſed vt licuit, quod nihil à Græcis quæ multa habebam addere, mihi permiſſum fuerit. Sed & fortaſsis auctores meos omnes in margine adnotari voluiſſes, quod & in noſtro illo de priſcis Aſſaſsinis cultelliferis nuper edito libello à pleriſq; deſiderari ſcribebas. At aliud fuit conſilium meum, quod nec

tibi

tibi prorſus improbari video, & de quo aliàs. Tu interea hanc Paraphraſin in primã partem Emblematum meorum, grato & eodem à quo proficiſcitur tibiq; ſtatuitur, animo accipe. Vale. Auguſtæ Mediomat. ex Muſæo noſtro, Kalend. quintil. 1596.

IN hoc omnes errore verſamur, vt non putemus ad mortem, niſi ſenes inclinatoſque iam vergere, cum illò infantia ſtatim & iuuenta omniſque ætas ferat. Omnes eadem conditio deuinxit, cui naſci contigit, mori reſtat: Atque hoc vnum eſt, quod æque ad iuuenem, quam ad ſenem pertinet. Quicunq; ad extremum fati ſui venit, ſenex moritur, ſtat ſua cuique dies, ad quam quiſque quum venerit, metam attigit. Non idem ordo fati qui & ætatis, nec quomodo quiſq; venit, emittitur. Diſpar cuiq; viuendi facultas datur. Non citamur ex cenſu, nec exigitur numerus annorum. hic in freto, ille in portu moritur. Alium in medio curſu vita deſerit, alium in ipſo aditu relinquit, alium in extrema ſenectute fatigatum iam & exire cupientem vix emittit. Alter adoleſçens deceſſit, alter ſenex, aliquis præter hos infans, cui nihil amplius contigit quam proſpicere vitam. Mors aliorum longius vitam paſſa eſt procedere, aliorum in medio flore præcidit, aliorum interrupit principia. Quidam ſerius obeunt, multi ocyus, nunquam nullus. Hæc inter nihil in commune prouiſum, niſi vt omnes mortales hæc vna lex teneat hoc vnum mortis imperium, alio tamen atque alio moriendi genere, diuerſiſque vitæ ſpaciis. Sic rei vnius modus multiplex, tempuſque peruarium eſt. Interuallis diſtinguimur, exitu æquamur. Sicut omnes ſtellæ, quæ ab Oriente veniunt, quamuis ſint magnæ celeritatis & virtutis, tendunt tamen ad occaſum, & ibi ſecundum diuerſos circulos aliæ tardius aliæ ocyus ſeſe à noſtris aſpectibus abſcondũt, ſic etiam homines vniuerſi ab Oriente, id eſt, per natiuitatem intrant in mundum, quamuis ibi aliquandiu rutilent & clareſcant, neceſſe eſt tamen quod tandem ad occaſum mortis, alij tardius, alij citius ſecundum curſum durationis quam à Deo acceperint, veniant decidantq; & à mundi aſpectib. ſeſe ſubtrahant & recedant. Implebit quiſq; portionem debitam, quam cuiq; naſcenti ſors ſua deſtinat, quantum illi temporis Deus vniuerſi moderator diſpoſuit. Æquo igitur animo quiſq; ſuũ mortis genus, ſuum diem mortis expectet, nec auiditate vitæ, nec faſtidio, quod indocti ingratiq; omnes faciunt, de naturæ legibus queratur aut litiget.

DIONY-

DIONYSII LEBEI-BATILLII
Regij Medi omatricum præſidis

EMBLEMA. I.

AD CLARISSIMVM PHILIPPVM Mornæum-Pleſsiacum.

LONGIVS AVT PROPIVS MORS SVA QVENQ. MANET



VNa colum molli lana ſibi ſumit amictum,
Altera deducit, tertia fila ſecat.
Sparſi hinc inde ſolo ſuccincti ſtamine fuſi,
Qui multo, aut modico, qui breviore, iacent:
Sic dominæ fati, fato quæ debita complent
Tempora ſic vitæ quæ data penſa regunt.
Longius aut propiùs ſic ſerior ocyor, vt ſors
Cuique expleta ſua eſt, mors ſua quoque manet.

Ad

Ad Embl. I.

Quære in fol. penult. ſub litera A.

Ad Embl. II.

Eunt anni more fluentis aquæ.

NIhil vita fugacius, nihil morte ſequacius. Atque vt rapidorum aqua torrentium in ſe, non recurrit nec moderatur quidem, quia priorem ſuperveniens præcipitat, ſic in hoc curſu ad mortem, nemo vel paulò ſtare, vel aliquantò tardiùs ire permittitur, ſed vrgent omnes pari motu, nec diverſo impelluntur acceſſu. Ibit quà cœpit ætas, nec curſum ſuum aut revocavit, aut ſupprimat, nihil tumultuabitur, nihil admonebit velocitatis ſuæ, tacita labetur. Non illa regitur imperio, non favore populi longius proferet. Sicut miſſa eſt â primo decurrit, nuſquam divertet, nuſquam remorabitur. Minuimur quotidie deperimus, &, vt propriè dicam liqueſcimus. Nemo noſtrum idem eſt in ſervitute qui fuit iuuenis. Nemo eſt mane qui fuit pridie. Nulla pars vitæ apud nos ſubſedit, tranſmiſſa eſt, & effluxit: fluunt, fugiunt fræno non remorante dies, labimur ſæuo rapiente fato, properat curſu vita citato. Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram quæ non remeantur. Breves anni ſunt, & ſemitam per quam non remetamur, ambulamus. Eunt anni more fluentis aquæ, nec quæ præterijt, hora redire poteſt. Irreparabiles effluunt dies, irreparabilis decurrit vita, breve & irreparabile tempus omnibus eſt vitæ. Nemo reſtituit annos, nemo iterum nos nobis reddit, neque homo repubeſcit ſenex, nec naſci bis poſſe datur, nec decurſo ſpatio â calce ad carceres renovari. Sed attende, quod de vita iſta dicimus, deſinere eſt, non perire. Mors intermittit illam, non eripitur dies vitæ extremus, æterni natalis eſt, venietque iterum qui nos in æternam lucem reponat.

II.

AD PETRVM NENELETVM-DO-ſchium Tricaſſ. I. C.



Tam cita vita fluit, cita quàm fluviatilis unda
In Mare deproperans, nec reditura, fugit.
Naſcentes rapimur, nec retro flectere curſus,
Aut ſpatium emenſum vitæ iterare datur.

Solarium vitæ.

LAbitur occultè, fallitque volatilis ætas, fluit & præcipitatur, & ferè deſinit eſſe quàm venit. Quantumlibet intendatur, diei unius inſtar habet, eiuſque vix integri, & quæ longiſſima eſt homini, in eadem propemodum brevitate reperietur, qua beſtiolæ illæ apud Hypanim fluvium, qui ab Europæ parte in Pontum influit, quas Ariſtoteles ait unum diem vivere, vt quæ oriente ſole moritur, juvenis moriatur, quæ ſub meridie, iam ætate provectior, quæ ſole occidente ſenex & decrepita, eòque magis ſi etiam ſolſtitiali die. Sic in ortu adhuc ſuo, ad finem nativitas properat. Quinimò, punctum eſt quod vivimus, & adhuc puncto minus: ſed hoc, minimum ſpecie quadam longioris ſpatij natura diviſit. Aliud ex hoc infantiam fecit, aliud pueritiam, aliud adoleſcentiam, aliud inclinationem quandem ab adoleſcentia ad ſenectutem, aliud ipſam ſenectutem. In tam auguſto tot gradus poſuit. Sic nobis ſenſum noſtræ necis fata auferunt, quoque faciliùs obrepat mors ſub ipſo vitæ nomine latet. Quoditie morimur, quotidie demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque quum creſcimus, vita decreſcit. Infantiam in ſe pueritia convertit, pueritiam pubertas, inventutem ſenectus ſecum trahit. Incrementa ipſa, ſi bene computes, damna ſunt. Morti ſenſim & neſcij approquinquamus, in quam & prius nos incidiſſe ſentimus, quàm incidere, vt nec herbas & arboris creſere cernimus, ſed creuiſſe & quemadmodum qui in navigiis dormiunt, à ventis vltro agùntur, etiamſi nihi ſentiat, ſed curſus eos ad portum defert, vtque quos aut ſermo, aut lectio, aut aliqua interior cogitatio iter facientes decipit, perveniſſe ſe antè ſciunt, quàm appropinquaſſe. Ita & nos tempore noſtræ vitæ præterfluente quaſi motu quodam perpetuo & indefeſſo, ad ſuum quiſque finem occulto vitæ curſu feſtinamus: Ita hoc iter vitæ aſſiduum & citatiſſimum quod dormientes vigilanteſque eodem gradu facimus, occupatis, non apparet niſi in fine.

III.

AD RODOLPHVM MAGISTRVM Medicum regium.

SIC OMNIS SCRIBITVR HORA TIBI.



Mobile tempus abit, lux vitæ & mobilis iſta eſt
Tota vnus tantum eſt vitaque noſtra dies:
Sic qua horas ſolus ſectatur ut vmbra ſugaces
Mors omnem ad vitæ flectitur vmbra notam.

Vitæ & mortis ſeries.

AEvum fluctus quidam eſt rapidus earum quæ fiunt rerum. Simul enim unumquodq; & apparet & præterit, & aliud ſubſequitur, mox item aliud ſuccedit. Sic eſt omnis iſte curſus mortalitatis, naſcuntur homines, moriuntur, & alijs morientibus alij naſcuntur, ſuccedunt, accedunt, decedunt, nec manebunt. Qui verſantur in terra, aſſiduè ad interitum properant, & alij in eorũ locum ſuccreſcunt, terra interim immota man et velut theatrum in quo hæc fabula peragitur. Moriemur nec primi, nec vltimi, multi nos anteceſſerunt, omnes ſequentur. Qui præceſſerunt, non nos hîc perpetuos reliquêre, ſed cedere properantes, prævenêre & ſorte ſua in tẽpore vſi ſunt: vtemur noſtrâ nos. Exiuit ocyus ſors illorum, ſcribit noſtrà ſerius, ſed confeſtim. Tu qui nunc ætate florida ſuperbis, alios calcas, mox ipſe calcaberis. Quid hoc tibi non eſt? Ad hanc legem natus es, hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc maioribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus poſt te. Series invicta nulla mutabilis ope illigat ac trahit cuncta. Tendimus huc omnes, huc primus & vltimus ordo, metam properamus ad vnam: & veluti propoſita in communem patriam profectione omnibus neceſſario, & citra recuſandi licentiam incumbente, alijs præcedentibus, alijs ſequentibus, omnes tandem eodem convenimus, & in quod primi venêre diverſorium iter ſuum emenſi, in illud poſtmodo aggregabimur.

IIII.

AD IOAN. GACHOTTVM Rupell. I. C.

VITAE ET MORTIS SERIES.



Vt qui alijs alii inſtantes certamine curſus
Ardentem ad metas lampada ferre ſtudent.
Tendimus ad mortem properi quò quælibet ætas
Et quos prætereat, quòue ſequatur habet.
Tendimus hac omnes, ſpatijs hæc vltima noſtris
Hæc ſerie, hæc vitæ meta terenda data eſt.

Homo pomo ſimilis, aut maturus cadit, aut ſi citò, acerbus ruit.

VT in mari alium venti ſegnes ludunt ac detinent, & tranquillitatis lentiſſimo tædio laſſant: alium pertinax flatus celerrimè perfert: Ita alios vita velociſſimè adduxit quò veniendum erat, etiam cunctantibus, alios maneavit & cepit. Illos qui deplorant dicunt eſſe ab reptos, hos velut excarnificatos cōtabuiſſe quiritantur. Itaque cùm nihil ſit tam ſecundum naturam, quàm ſenibus emori, atque hoc idem contingat adoleſcentibus adverſante & repugnante natura, adoleſcentes mori ſic mihi videntur ut quum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur, ſenes autem ſicut quum ſua ſponte nulla adhibita vi conſumptus ignis extinguitur, & quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi avelluntur, ſi matura & cocta accidunt, ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas, corpora noſtra aut matura cadunt & exanguia annis putrent, aut ſi cito, acerba ruunt, quemadmodum & arbores ipſæ ſuā habent mortē aut percuſſæ cadunt, aut ſuo tempore areſcunt. Verum eum mors portus ſit aliquando eundus nunquam recuſandus, ſi quis intra primos annos in hunc delatus eſt, non magis quæri debet quàm qui cito navigavit. Ei autem qui uſque ad Plaudite in hac vitæ fabula vixerit, & cui poſt præteritam verni temporis ſuavitatem, æſtate aut autumno moriendum ſit, non magis dolendum, quàm poma quum maturuerint & deciderint, quæruntur, ſed quæ, ſi ſermo illis datus ſit, gratulentur potius ſe ad id perveniſſe ad quod nata erant, & arborem quæ ipſa tulerit, collaudent, huicque gratias agant.

V.

AD CAROLVM CAROLVM-MAGNVM Tricaſſ. I. C.



Crudant adhuc ramis alieno tempore poma
Velluntur, vel humi putria lapſa, iacent.
Præcoci fato ſic aut rapiuntur acerba,
Aut effœta annis corpora, noſtra cadunt.

AD AV-

Flamma brevis vita.

QVid eſt homo? ſicut lucerna vento poſita. Imbecillum corpus & fragile, nudum, ſuapte natura inerme, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum, anxiæ ſollicitæque tutelæ. precarij ſpiritus & malè inhærentis, non omne cœlum ferens, flatuq; non familiaris auræ, & tenuiſſimis cauſis atque offenſionibus, morbidum, putre, caſſum. Quæ eſt vita noſtra? vapor qui ad exiguum tempus apparet, & deinde euaneſcit, flatus exiguus & tenuis fumi vapor. Ignis humore modico velut olei liquore ad luminis vivacitatem infuſo nutritus, quo deficiente vel extincto, & calorem ſimul & corpus extingui, neceſſe ſit. Obſcuræ minimæque breviſſima lucis portio quæ minimo jactatu & minima tempeſtate facilè diſſipetur. Quid corpus noſtrum niſi lucerna accenſa? Quid mors, niſi lucerna extincta? Quid aliud quicquid luminis in hoc corpore habemus quàm velut nocturnum lumen ventorum turbini expoſitum? Turbinem nemo tota die videt, ne hora quidem, tanta eius velocitas, tanta brevitas eſt. Sed an alius violentior celeriorque mortis turbine qui in hac vita circaque eam voluitur.

V I.

AD AVGVSTINVM CAILLET-tium, I. C.



Talis homo, qualis perflantibus undique ventis
Parva ſub obſcura, nocte lucerna patet.
Flamma homini vitæ tam parco conſtat oliuo,
Tam vario, mortis turbine rapta, perit.


Ad Embl. VII.

Mors vitæ terminus hæret.

MOrs omni ætati, omnibus communis, omnium rerum, omnibus vitæ extremum, humani officij finis, ultima quæ dividet hora, ultima & ſacra linea, ad quam velut in ludo ſcruporum, qua calculos noſtros promoverimus, neceſſe eſt ludum finiri, & eum vinci cui iam quo proferat vlterius non erit. Depactus hic vitæ concedit nulli Terminus, immobilis hæret. Naſcentibus nobis natura protinus hunc poſuit, fixus eſt cuique, manebit ſemper ubi poſitus eſt, nec ullum vlterius diligentia aut gratia promovebit. Nulla illi ambitio, nullo corrũpitur auro. Stat nobis ubi illum inexorabilis fatorum neceſſitas fixit. ſed nemo ſcit noſtrûm, quàm propè verſetur terminus. Vivit quiſque quantum debet vivere. Nemo immaturus decedit. Nemo nimis citò moritur, qui victurus diutius quàm vixit non fuit, cui nihil iam vltra ſupererat. Nemini interrumpitur vita, nec vnquam ſe annis caſus interjicit. Soluitur quod cuique promiſſum eſt, eunt vi ſuâ fata, nec adjicitur quicquam nec ex promiſſo ſemel demunt. Sic itaque formemus animum, tanquam quotidie ad extremum ventum ſit.

VII.

AD MATTHAEVM VACKERVM Conſtant. I. C.



Communem cunctis Mors ultima linea rerum
Præſcriptis vitam finibus una regit:
Terminus hæc vere eſt nulli qui cedere nouit,
Qua poſitúsq; tenax in ſtatione manet.

Ineuitabile fatum.

AEſchylus Athemuſis, Poëta Tragicus, iam caluus, annos LVIII. natus, in agro & aprico loco ſedens, quum prædictam fatis eius dici ruinam, ſecura cœli fide caueret, fertur interfectus, teſtudine ab aquila inde volante in caput eius demiſſa, cum illud ſcilicet, quod caluum eſſet, ſaxum eſſe credebat aquila, qualibus alites illæ eiuſmodi animalia conquaſſare ſolent. Quo exemplo docemur, ſortem fato deſtinatam defugere impoſſibile, neque in hominis natura ſitum avertere quod ipſi euenturum eſt, vt neque præſtare poſſit vt alterum fato impendenti eripiat. Quod quiſque vitet, nunquam homini ſatis cautum eſt in horas. Quæ fato manent, quamvis ſignificata non vitantur. Certa decreta ſors & quam præſciſſe aut cavere nihil proderit, fugiendo in media ſępe fata ruitur. Nõ ignis fatum, non ferrea arcebunt mœnia. Vbi tempus aduenerit moriendi, nullum ulli ſatis tutum aſylum eſt, & illi mors imminet qui domi deſidet extra pericula & fugacem perſequitur virum: ſic invenit & invenitur qui fugit. It cuique ratus prece non ulla mobilis ordo. Multis ipſum timuiſſe nocet. Multi ad fatum vivere ſuum odium fata timent. Nemo ergo longè valde mortem credat, quæ ne unquam longè ſit, vitæ brevitas facit: vt ſemper immineat ſupraque caput ſit, facit humanorum caſuum mira vis, ineluctabilis eventus, infinita varietas.

VIII.
AD GEORG. PERRICARDVM SENAtorem Rothom.

PRAESCRIPTVM INEVITABILE FATVM.



Certum cuique ſuum eſt, & ineuitabile fatum,
Decretam ſortem, nemo cavere poteſt:
Teſtis quem perhibent prædictum avertere caſum
Cæli etiam tuta non potuiſſe fide.

Fugacia commoda vitæ.

EA eſt humanarum rerum conditio, vt momentaneæ ſint, inque diem vix durent. Omnia vertit dies. Quicquid longa ſeries multis laboribus, multa Dei indulgentia ſtruxit, id unus dies ſpargit ac diſſipat. Simul parta, ac ſperata decora unius horæ fortuna evertere poteſt, ludit in humanis divina potentia rebus,& certum præſens vix habet hora fidem. Tam longam moram dedit malis properantibus, qui diem dixit, horam momentumque temporis evertendis imperiis ſufficere. Vt autem nihil publicè, ſic nihil privatim ſtabile eſt. Omnium extrinſecus affluentium lubrica & incerta poſſeſſio eſt. Cuiſque rei tam brevis uſus quàm levis ſenſus eſt. Citò nos omnis voluptas relinquit quæ fluit & tranſit, & penè antequam væniat aufertur. Omnia omnibus dubia. Nil proprium cuiquam puncto quod mobilis horæ nunc prece, nunc precio, nunc vi, nunc ſorte ſuprema permutat dominos & cedit in altera jura. Omnia iſta bona, quæ nos ſpecioſa ſed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia, aliaque complura, quæ cum labore poſſidentur, lubrica & incerta ſunt, nunquam bene tenentur. Nihil ſibi quiſquam de futuro debet promittere, id quoque quod tenetur per manus exit. Et vt nihil de tempore futuro timeatur, ipſa tamen magnæ felicitatis tutela ſollicita eſt, cuius ex omnibus rebus humanis velociſſima eſt leuitas.

IX.

AD PRVDENTEM MARTINVM Lingon I. C.

FVGACIA COMODA VITAE.



Ceu piſcatoris, maculoſa lubrica tergo
Anguilla è manibus vix benè capta, fugit:
Haud ſecus humanæ vaneſcunt commoda vitæ,
Et, nil, non, nobis eripit hora brevis.

AD CA-


Dulci & amaro temperata vita.

AD hunc modum temperata eſt vita noſtra, vt nullum bonum habeamus cui non ſit aliquid acerbi admixtum. Nihil quicquam tam proſperè divinitus hominibus datum, quin & tamen admixtum ſit aliquid difficultatis. Nõ pura Deus bona, ſed malis ſemper admixta præbet hominibus, neque riſum ſine fletu habemus, reſque ſecundas ſemper calamitas quędam ſubſequitur, in ipſis voluptatibus cauſæ doloris oriuntur ac voluptatem triſtitia comitatur, denique legitima ſinceraque frui felicitate nuſquam datur. Nulla vitæ felicitas tempeſtatis ac doloris expers eſt, nec proſperitas poteſt eſſe ulla cum qua non exiſtat etiam aliquid quod hominem mordeat, ut ipſa quoque roſa licet fragrans ſit, crebris tamen ſpinis horret, & vultum ſolis nubes interdum caligine quadam obvelant. Non ulli ferè & magna bona & diuturna contingunt. Non durat nec ad vltimum exit niſi lenta felicitas, & Græci tertium dolium in Iouis aula nullis permiſtum, malis eſſe, negant. Nullum eſt bonum quod in hac vita tanquam arbor ex una radice naſcatur, ſed contrà ei etiam aliquod malum agnaſcitur. Nulla ſors longa eſt, dolor ac voluptas inuicem cadunt, medio de fonte lepôrum ſurgit amari aliquid. Nunquam ſincera bonorum ſors ulli cõceſſa viro, nihil omni â parte beatum eſt, & ſubtexta malis bona ſunt, triſtia lætis ſubſtituuntur, & vt ſegiti lolium miſcentur alterna lætitia & triſtitia fluctuamus vita noſtra tantum aloes quàm mellis habet. Vſque adeò nulla eſt ſincera voluptas ſollicitumque aliquid lætis intervenit, horaque non ulli ſimilis perducitur horæ. Vſque adeo lene vanumque eſt hoc quod felicitas dicitur cui vna & prima nominis ſyllaba faciliмè accedat.

X.

AD CAROLVM PASCALIVM.

DVLCI ET AMARO TEMPERATA VITAE.



Eſſe neget grato quis Punica mala ſapore:
Ille acidus tamen eſt, aſperiorq́; ſapor.
Mortali vitæ nulla eſt ſincera voluptas,
Implicat huic aliquis ſeq́; ſubinde decor.

Noſtri noſmet pœnitet.

CVm natura varia viuendi inſtituta humano generi dederit, imprimis conſtituendum eſt quos nos & quales eſſe velimus, & in quo genere vitæ convenienti & conſentaneo, vt contra naturam vniverſam nihil contendamus, ſed ea conſervata, propriã ſequamur, & ſtudia noſtra eius regulâ metiamur. Omnino autẽ ſi quidquam eſt decorũ, nihil eſt profectò magis quàm æquabilitas vniverſæ vitæ, tum ſingularum actionum, quam conſervare non poſſimus, ſi aliorũ naturam imitemur, omittamus noſtram. Elogio ergo Pythico obtemperantes nos ipſos noſſe ſtatim oportet, naturam conſulere, eaque authore unum quiddam potiùs capeſſere, quàm aliud aliudq; inſtitutum vitæ tranſeuntes, naturæ ipſi viui afferre. Bonis ad arandum equi ad curſum nati ſunt, hi curribus, illi aratro congruunt, acceleranti navi ad mare aptus eſt delphin, venando autem apro canis ferox accommodatus. Licet tamen â natura ſinguli differentem ſortiti ſimus conditionem vitæ, ita plerique ingenio ſumus omnes, noſti noſmet pœnitet, Alienum nobis, noſtrum plus alijs placet. Capiunt animos plus aliena ſuis, nulli ad aliena reſpicienti ſua placent. Affectatio alienæ fortunæ, aut noſtræ odium nos detinet. Nemo quam ſibi ſortem ſeu ratio dederit, ſeu fors obiecerit, illa contentus vivit, laudat diverſa ſequentes. Nemo quam novit artem in hac ſe libens exercet. Cui placet alterius, ſua nimirum eſt odio ſors.

XI.

AD ANDREAM MELVINVM Scotum.



Sorte ſua vivit, nemo contentus, & intra
Fortunam vix eſt qui velit eſſe ſuam.
Nulli, non ingrata ſua eſt, diverſa probatur,
Noſtra aliis, nobis plusq; aliena placent.
Optat ephippia bos piger, optat arare caballus:
Pertæſus pariter ſortis uterque ſuæ.

 AD IA-

Ita eſt vita hominis quaſi quum ludas teſſeris.

COmmune hominibus hoc eſt adverſis iuxta ac ſecundis rebus vti, nec ulli unquam fortuna æquabilis, perpetuaque fuit, Alternæ ſunt vices rerum. Non eadem ſemper cadunt, neque vitæ manet eadem ſpecies, ſed variat. Cùm autem eventus illius in nobis non ſit, cùm nulla nobis optio vivendi, noſtro arbitrio propoſita ſit, vt neque in Olympijs licet vincere delecto adverſario, quæcunque in vita obtingit fortuna, cum ea luctandũ, & omnia tolerare debemus, quæ de nobis illa ſtatuerit, quòdque obvenerit, id eo ponere ubi maximè videbitur eſſe comodum. Caſuum damna ferendo vindicãda ſunt. Probè ille rationes ſubduxit qui ſe intra ſuos fines continet ac moderatè ferre novit vtrorumque ſortem, maturoque ita ſecum conſtituit, ſicut in populari Reipubl. ſtatu ſorte magiſtratus leguntur, ut ſi ea tetigerit te, imperandum, ſi præterierit æquo animo ferenda ſit fortuna, ita & rerũ humanarum diſpenſationi eſſe obedientes & abſque incuſationibus obtemperandum. Cordatorum enim hominum eſt & rectè inſtitutorum neque mutari ob eventum rerum quę videntur proſperę, & conſtanti animo decorum in adverſitatibus ſervare, rationiſque bene compoſitæ officium hoc eſt aut præcavere & declinare malum ingruens, acceptum corrigere & ad minimum redigere, aut patientiam ſuam fortem ac generoſam præſtare. Sic denique de vita hominum ſtatuendum quaſi quum ludas teſſeris, ſi illud quod maximè opus iactu non cadit, illud quod cecidit fortè, id arte vt corrigas, cum neque denuo jacere liceat, neque teſſeram aliter ponere.

XII.

AD IACOBVM GILLOTVM SENATOrem Pariſienſem.

ITA EST VITA HOMINVM ET.



Iudice, nempe Deo ſortis ſic alia, noſtra
Talorum ut luſu, teſſera miſſa, cadit.
Vt numerorum ergo, vitæ ſic quoſque tueri
Corrigere, qua datur arte, decet.

Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.

QVi ſemel mare ingreſſi ſunt, ventorumque & æſtus arbitrio feruntur, fruſtra conentur, ſi velint adverſus iſta pugnare: tumque periti gubernatoris tempeſtati obſequi artis erit, etiamſi portum tenere nequeat, & mutata velificatione vitare aut declinare maiores illos & decimos fluctus quos frãgere non poſſit. Ita in his rerum humanarum, nunc propere abſecundantium, nunc reflantium tempeſtatibus, tempori ſervire, id eſt, neceſſitati parere. Deum ſequi, & fatum adiutare potiùs quàm impedire, licet aliter agat nos, quàm velimus, ſemper ſapientis fuit habitum. In hoc vir viro præſtat: quòd & malum & bonum commodé ferat, ſortique ſuæ acquieſcat. Suſcipiendi rerum eventus, ac diſponenda vtut ceciderit alea fortunæ, cui repugnare ſit velut materiam præbere, nimboſque alios alijs aſciſcere. Ergo fatis ſinamus nos duci non trahi, vtque noscunque rapit tempeſtas, æquo animo deferamur, atque ſi quo Italiam cœlo contingere, nequeamns, quia ſcilicet: Mutati tranſverſa fremunt & veſpere ab atro Conſurgunt venti, atque in vrbem cogitur aër, Nec nos obniti contrà nec tendere tantum ſufficimus, ſuperat quoniam fortuna ſequamur quoque vocat vertamus iter, Iuuat ire quo nos rapiunt auræ quocunque per vndas Notus vocabit aut proteruus Africus. Quicquid erit ſuperanda omnis fortuna ferenda eſt. Quod ſi inviti facimus duplex malum eſt, ſi non inviti neceſſitatem effugimus, qui velimus quod ipſa coactura eſt.

XIII.

AD GVLIELMVM TAESIVM ABBATEM Baſsifontanum.

IN VENTOS NON REFLANDVM.



Quæ te cuncta premat fortunæ injuria, perfer,
Quòque vocat ſuperans, flectere diſce viam.
Stultus in adverſos verſus qui obnititur Euros,
Inflato & contra turgidus ore reflat.

Tu

In labore multum adiumenti ad vitam.

I To ad formicam, ô piger, & æmulare rationem ac viam illius, ſiſque ea prudentior. Nam quum illi deſit, ager quem colat, neminemque qui cogat ad opus habeat, nec ſub ullius dominatu vivat, parat tamen æſtate cibum, multumque in meſſe acervat, quod ſibi hyeme apponat. Ore trahit quodcunque poteſt, atque addit acervo quem ſtruit haud ignara ac non incauta futuri, quę ſimul inverſum contriſtat Aquarius annum non uſquam prorepit & illis utitur antè quæſitis ſapiens. Quouſque piger decumbis, quando tandem è ſomno excitaveris? pauliſper dormis, pauliſper ſedes, paululum dormitas, admoues manus pectori, denide paupertas velut egregius curſor ad te venit, & inopia velut celer viator. In iuventute quum nihil colligeris, quomodo invenias in ſenectute tua? juveni parandum, ſeni utendum eſt. Apes quoque venturæ hyemis memores æſtate calorem experiuntur, & in medium quæſita reponunt. Æſtas tua quid eſt aliud niſi ætas iſta flagrantior? Quid algenti brumę ſimilius quàm ſenectus? Quem verò tunc tibi huius temporis aut otij fructum ſperandũ eſſe proponis, quas meſſes, ſi nunc facie laboris exterritus ceſſas? & deſidia torpente conſiſtis? Nudus ara, ſere nudus, hyems ignaua colono, Tolera dum vires annique ſinunt tolerare labores, dum feruet ætas & viget ingenium, nec expecta donec frigus ſenectutis obrepat, & æſtivæ claritati nubila hyberna ſuccedant.

XIIII.



Tu qui deſidiam colis, atq; ut in otia, natus,
Ignauis votis tempora cuncta trahis,
Aſpice formicæ lætis quando agmine campis
Sub tectum aſſiduæ grana reperta vehunt.
Scilicet haud ignaræ hyemis, triſtiſq; ſenectæ,
Quæ tum prompta ſibi ſint alimenta, parant.

Dij facientes adiuvant.

BVbulcus è villa plauſtrum agens, cùm hoc in ſalebris hæreret, & ſuccurrendum eſſet, ignavus aſtabat, & Herculem, quem præ omnibus Diis venerabatur, inuocabat. At Deus aſtans, Admoue inquit, manum rotis & ſtimula boves, herclè hoc erit tibi argumentum ſemper in promptu ſitũ, nequicquã expertes amicos, quod agere tu per te potes: nec ita pendendum ab inuocata divina ope, vt officium tuum prætermittas. Gubernator videns inſurgere tempeſtatem Dei auxilium implorat, nihil ſegnius interim clauũ moderans & antemnam detrahens. Non enim votis neque ſuppliciis muliebribus, auxilia Dei parantur, ſed vigilando & agẽdo omnia proſperè cedunt. Vbi ſocordiæ te atq; ignaviæ tradideris, nequicquã Deum imploras, iratus infeſtuſque eſt. Langueſcet induſtria, intendetur ſocordia, ſi nullus ex ſe metus aut ſpes, & ſecuri omnes aliena ſubſidia expectabunt, ſibi ignavi, alijs graves. Nihil boni parat otium inane, neque Deus otiantibus aſſiſtit. Terram limoſam nemo fortunæ relinquit vt ex illa lateres conficiat, neque corium poſſidens aut lanam, otioſus ſedet, fortunam precibus fatigans vt ex hac materia togam & calceos paret. Nempe ars nõ expectat fortunam, ſed labor, cum Minerva manus admoveoa, Laborantem Deus pariter adiuvat. Sic olim ſagittario inuocante Deus affuit, & telum una direxit, ſic cytharœdo orthium canenti, quum neruus defuerat, Apollo ipſe cicadæ ſpecie reſpondit.

XV.

AD GERMANVM SAIGEOTVM
Caluimont.



Alcidem lapſo rogat ut ſuccurrat aſello,
Nec ſe ſe ipſe ſedens ſegnis agaſo ſedet:
Cui Deus, At primùm tu hæc otia tollere debes,
Primus & ad partes ipſe venire tuas.

Sedulò officium colendum, nec poſt ſe reſpiciendum.

STVdium eſt boni aratoris aruum rectis ſulcis proſcindere, quod fieri non poteſt, niſi totus operi incumbat, & ad id quod agit, animũ advertat, vt qui, niſi incuruus ſtiuæque innixus & ad aratrum omnino reſpiciens, prævaricatur. Ita, cum nulla vitæ pars neq; publicis neq; privatis, neq; foreſibus, neq; domeſticis rebus, neq; ſi tecũ agas quid, neq; ſi cum altero contrahas, vacare officio poſſit, in eo rite colendo ſita vitæ eſt honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo. Quem finem tibi propoſueris, ad hunc nitere, ad hunc omne factum tuum dictumque reſpiciat, veluti navigantibus ad aliquod ſidus dirigendus eſt curſus. Ne deſis operæ. Omnis labor tuus huc referatur, prior & potior tibi ſit officij ratio quod officio debes, quod huius erit, non averſis, ſed quam maximè intentis oculis, vt aiunt, acerrimé contemplare, partes tuas imple, teque ad tuum munus penſumque totus revoca, ordinẽ non deſere, de ſtatione atq; præſidio illo tuo inquietus non decede, propoſita cuſtodi & aſſiduo ſtudio robur adde. Nihil turpius dubio & incerto ac timido, pedem modò referente, modò producente. Quid propoſitum vagi deſerunt, nec quæ deſtinaverunt, agunt, ſed in quæ incurrerunt: inconſultus illis vanuſque curſus eſt, qualis formicis per arbuſta repentibus quæ in ſummum cacumen, deinde in imum inanes aguntur.

XVI.

AD LAVRENTIVM ROMEVM, Rothomag.



Dum verſa ceruice oculos reflectit arator,
Stultos obliquant deſtituuntq́; boues:
Vrge propoſitum, ſimul & cum lumine, mentem
Obverte officio ſedulus uſque tuo.

Negotiorum reſpiciendus exitus.

Qui quondam Creta fertur labyrinthus in alta,
Mille vijs habuiſſe dolum, quæ ſigna ſequendi,
Parietibus textum cæcis iter, arripiturque,
Traheret indeprenſus & irremeabilis error.

Vnde qui opus poſuerat Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis vix ipſe reuerti ad limen potuit, hunc eundē labyrinthum adhuc extare narrant quidam comperiſſe, eſſeque ſubterraneam ſpecum cavatam intra montem, ſed maior ex parte vetuſtate collapſam, quamque pluribus in locis dirutam incolæ aſſerant, atque etiam ex induſtria plures aditus clauſos, & lege cautum, ne quis introëat, niſi illum ſenex aliquis indigena, qui meatus illos bene cognitos habeat, accenſa face introduxerit. Quot hodie reperias qui tecta noui formā celantia monſtri intrarunt, cœcæ non redeunda domus, qui ſolicitudinis colligunt cauſas, & per inſidioſum iter vitæ, non tantùm ferunt ſarcinas, ſed trahunt, qui ita longiùs ab affectu eius quod petunt ſemper abſcedunt, & quo plus operæ impendunt, hoc ſe magis impediunt, feruntur retro, quodque evenit in labyrintho properantibus, ipſa illos velocitas implicat. At quanto ſatius eſt ire aperta via & recta, quàm ſibi ipſi flexus diſponere, quos cum tanta moleſtia debeas relegere? Nempe omnis rei oportet inſpicere exitum, quo ſit evaſura. Nec accedendum eo unde liber regreſſus non ſit, his admouenda manus quorum finem aut facere aut ſperare poſſis. Certè relinquenda quæ latius actu procedunt, nec ubi propoſueris deſinunt. Etiam atque etiam mi Perricardi, hoc cogita, ne te tuoſque omnes funditus evertas ne te ſciens prudensque eo demittas, unde exitum ſi oculos aperis, vides nullū eſſe, ne mox eventu ſtolido rerum magiſtro damnum irrevocabile diſcas.

XVII.

AD IOAN. PERRICARDVM Rothomag.



NEGOTIORVM RESPICIENDꝰ EXITVS

Dædaleum hoc iter eſt, iam iſtius iam comprime greſſum,
Ignotas & ne carpere perge vias?
Aut tibi, mox cœcis illudat flexibus error,
Vnde pedem ſoſpes vixq́; referre queas.

AD Noa-

Quibus rebus confidimus, ijs maximè evertimur.

ANte omnia neceſſe eſt ſeipſum æſtimare, quia ferè plus nobis videmur poſſe, quàm poſſimus. Alius eloquentiæ fiducia prolabitur, alius patrimonio ſuo plus imperabit quàm ferre poſſit, alius infirmum corpus laborioſo oppreſſit officio: Æſtimanda ſunt deinde ipſa quæ aggredimur, & vires noſtræ cum rebus quas tentaturi ſumus, comparandæ. Verſandum diu quid ferre recuſent, quid valeant humeri, debet enim ſemper plus eſſe virium in actore quàm in pondere. Neceſſe eſt opprimant onera, quæ ferente maiora ſunt. In magnam virium fiduciam magnis viribus accingitur fortuna, & interdum ex æquo congredi indignans, vt oſtendat quàm fragilè animal eſt homo, dũ ſibi robuſtiſſimus videtur, giganteos viros lęvi pręlio confecit. Herculem ab omnibus invictum vis latentis, mali vicit. Milonem ipſum cunctis celebratum & cognitum palæſtris arbor vna detinuit, lacerandumque feris obtulit. Sic robur illud eximium corporis ſine exemplo, fiſſæ quercus robori impar inventum eſt. Sic polydamas dum unus ſuperiorem ſpeluncæ partem latè fatiſcentem ſublatis manibus ſuſtinere ſe poſſe putat, ruinæ mole oppreſſus eſt, qualis priſci illi Celtæ Oceani accolæ domus aut parietis ruinam fugere turpe ducebant, qui & adventanti quoque refluentis maris æſtui armati occurrebant, & eò vſque expectabant donec aquis obruti demergerentur. Sic nimia fiducia magnæ calamitati eſſe ſolet, ſi comnis audacia virium menſuram excedit, ſic abnuit natura eundem & valentiſſimum eſſe & ſapientiſſimum. Sic non niſi paria viribus ſuſcipienda, quale fuit ſymbolum Friderici ultimi Imperatoris T. Q. P. id eſt, tantum quatum poſſum.

XVIII.

AD NOACVM COMBLEVM, I. C.

QVIBVS REB⁹ CŌFIDIM⁹ IIS MAXIME EVERTIMVR



Dum Milo jam ſenior veſano pectore vires
Concipit integritas, Herculeisq; pares.
Et, manibus robur diducere fiſſile tentat:
Ecce, manus captas unde referre nequit:
Sicq; miſer ſortem deflens fluidoſq; lacertos
Pendet inhumanis præda futura lupis.
Quid non mortales audax fiducia cogis?
Sed benè habet quòd te tam malus error habet.

Non tutum ſemper vires oſtentare.

COlumbis ineſt quidam gloriæ intellectus. Noſſe credas ſuos colores, varietatemque diſpoſitam: quin etiam, ex volatu quæritur plaudere in cœlo, variéque ſulcare. Qua in oſtentatione, vt vinctæ, præbentur accipitri, implicatis ſtrepitu pennis, qui non niſi ipſis alarum humeris eliditur: alioquin ſoluto volatu in multum velociore. Speculatur occultus fronde latro, & gaudentem in ipſa gloria rapit. Ita ovis, pedis grauiore ſonitu lupum ſtulta vocat, Ita, miſer ſuo ipſius indicio perit, cùm clariùs ſtridet vel ſtrepit obrodens frivola. Sic tacitus paſci ſi poſſet corvus, haberet plus dapis, & rixæ, multò minus invidiæ que. Quadrat Emblema in eos qui ſibi ipſi virium pennis inaniter plaudunt, & dum eas oſtentant, magis quàm vtantur, obliti ſui præda fiunt inimicis, quiue ſi quid bonæ rei nacti ſunt, continuò jactant, atque ad eum modum efficiunt vt alij tum obſiſtant, quominus eiuſmodi plura commoda naciſcantur, tum quæ nacti ſunt, intervertant. Atque ita quo ſibi maximé placent, idipſum eos peſſundat, jactantiaque hoſtibus per commoda, ſemper ſuis exitio fuit. Et ut terra quæ venas aquarum occultat nebulam quandam exhalat ante ſolis ortum, longiús intuentibus, ita imprudentes illi ſemp er aliquid ex ſe produnt vnde qui obſervet, facilimè poſſit quales ſint deprehendere.

XIX.

AD PETRVM FRIDERVM,
Mindanum.



Ipſa ſibi pennis plaudit dum Chaonis ales
Accipitri indicio proditur ipſa ſuo:
Qui vires, magis oſtendat quam queis ſciat uti
Hoſtibus haud aliter prodita præda venit.

Periculoſam potentiam & vires ſuas admirari.

VT equæ conſpectâ in aquis forma ſuâ, aguntur in rabiem, ita quidam nimium admirantes ſua ad inſaniam uſque redduntur inſolentes. Scilicet ut incontinentes in morbis, ſic inſipientes in proſperitatibus, curatu difficiles ſunt. Omnia ſibi licere ſtolida mortalium temeritas putat, ubi ſemel aliquo rerum ſecundarum incremento delinitus eſt animus. In rebus proſperis & ad voluntatem fluentibus ad ſuperbiam, faſtidium, arrogantiamq; prolabitur. Neque quicquam tam intractabile aut moroſum quàm homo quem felicitatis opinio corripuerit. Superba eſt felicitas, Ea corrumpimur, huius & moderationis dividuum eſt contubernium. Cognoſcere difficile eſt modum quando bona adſunt. Tam cæcæ mentes, tumefactaque corda ſecundis. Nec facile eſt æqua commoda mente pati. Mediocria, utilia, vitaliaque ſunt, nimia, eo quod ſuperfluunt, nocent. Sic ſegetem nimia ſternit ubertas, ſic rami onere franguntur, ſic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas, Idem animis quoque euenit, quos immoderata felicitas rumpit, qui non tantum in aliorum iniuriã ſed etiam in ſuam vertuntur. Sic Tantalus cum magnam felicitatem concoquere non poſſet, ſatietate illius decidit in extremam calamitatem. Sic Perſeus cum prohibitum ei fuiſſet, ne Gorgonem ſuam qua ante ſe protenta alios in ſaxa vertebat, aſpiceret, atque hoc neglexiſſet, in ſaxum & ipſe verſus eſt. Sic M. Attilius non ſtatuendo tandem felicitati modum, nec cohibendo efferentem ſe fortuna, quantò altius elatus erat, eô fœdius corruit.

XX.

AD SIMONEM VITELLIVM Tricaſſinum, I. C.



Ipſa ſui, nimia eſt, rebus ſublata ſecundis
Mens hominum, & nullum novit habere modum.
Qui modò non dubiæ reſerebat præmia palmæ,
Aegida protendens ſaxificùmq́; caput.
Diriget ipſe quoque in ſaxum, dum reſpicere auſus
Non potuit monſtri lumina ferre ſui.

Nil mortalibus arduum eſt, Cœlum ipſum petimus ſtultitia.

NOti,ſima Titanum & Gigantum fabula,
Tentavère, neſas, olim detrudere mundo.
Sydera, captiviq; Iovis tranſferre Gigantes
imperium, & victo leges imponere cœlo
His natura ſua eſt aluo tenus, ima per orbes,
Squameus intortos ſinuat veſtigia ſerpens.
Conſtruitur, magnis ad prælia montibus agger.
Pelion Oſſa creat, ſummus premit Oſſan Olympus.
Iam coacervatas nituntur ſcandere moles,
Impius & miles metuentia cominus aſtra
Provocat infeſtus, cunctoſque ad prælia Divûm
Armatus flamma validos tum Iuppiter ignes
Increpat, & tacto proturbans fulmine montes
Vertit in authores pondera vaſta ſuos.
His bene Maieſtas armis defenſa Deorum
Reſtat, & ex illo tempore culta manet.

Quibus nihil aliud intelligimus quâm hominum impiam gentem, ſævo trucique animo, dextra quibus Deus & telum, queis ferocia numen & enſis, qui propter virium fiduciam temerè nulloque conſilio res non tentandas moliantur, magiſtratibus vim adferant. Rempubl. oppugnent, Deum ipſum negligant, quibus denique nihil nefas ſit, nec in facinore, nec in libidine, ſed ad omne flagitium immanis audacia, inauſpicatò ipſis ceſſura, vt ſæpius vis conſilij expers mole erit ſua. Quales peſtes & humani generis portenta nullis vnquam defuiſſe ſæculis nulla non comprobavit ætas. Tanta eſt in permultis avaritia, tantum, ambitionis imperij, divitiarum ſtudium, vt explendæ cupiditatis gratia, nihil ſibi non licere putent. Adeò nihil humanæ audaciæ intentatum, nil mortalibus arduum eſt, cœlum ipſum petimus ſtultitiâ, neque per noſtrum patimur ſcelus iracunda Iouem ponere fulmina, Inceſtis Pluton aperit Titanibus auras, Atque ſepulta novi ſurgunt in bella Gigantes, matre ſati terra ſcelerum fœdere inter ſe ac nefaria ſocietate coniuncti. Sed & iſta propago contemptrix ſuperûm ſævæque auidiſſima cædis, & violenta fidens iuventus horrida brachijs, quæ talia vino auſa Tonante, unde periculum fulgens contremiſcat domus Saturni veteris. At tandem cœlo tonantem credemus Iovem regnare.

XXI.

NIL MORTALIBꝰ ARDVV̄ EST CŒLV̄ IPSV̄ PETIMꝰ STVLT:



Quænam hominū facie hæc immania monſtra, draconum
Parte ſui caudam poſteriore trahunt?
Montibus atq; alios alijs ſuperaddere, montes,
In cœlumq́; parant ædificare gradus?
Horrendas iactantq́; minas, & mille lacertos,
Mille & in indigenas tela parata Deos?

Vulgata

Vulgatæ, non eſt mendoſa licentia famæ,
Titanasq́ alios nunc quoque Terra creat.
At tu iucundos ignes, at tu ægida ſume
Pro cœloq́ iterum, Iuppiter, arma cape.
Si benè non illis primùm defenſa fuiſſet,
Nec benè Maieſtas, nunc tua culta foret.

Ad Embl. XXII.


In pacis incendiarios.

EPheſus vrbs clariſſima fuit Aſiæ: Epheſo decus templum Dianæ, magnificentiæ vera admiratio, ducentis viginti annis communiter â civitatibus Aſiæ factum, cui quod clariſſimum eſſet per totum orbem, Xerxes cum omnia Aſiatica templa igni daret, vni peperciſſe fertur. Quæ tamen clementia non illud diù â malo vindicavit. Nam Heroſtratus quidam, vt quod nullo honeſto facinore acquirere poterat, ſceleris ſaltem memoria nomen extenderet, incendium nobilis fabricæ manu ſua ſtruxit. Epheſij autem ne ſperatum inde fructum homo nequiſſimus conſequeretur, edicto caverunt, ne quis unquam eum nominaret. Ita multos reperire eſt qui in malitia & nequitia ſummum obtinere gradum ſceleſta & nefaria ambitione peroptēt, itant ad immania flagitia patranda tantùm petulanti â inſtigatos appareat abſque ulla commoditatis ſpe, quæ plerumque homines à virtute avertere ſolet, prudentes ſcelus ob titulos admittere inanes, & nihil minus in inferenda iniuria reſpicere quàm cauſam. Et cùm totius iniuſtitiæ nulla capitalior ſit quàm eorum qui tum quum maximè fallunt, id agunt vt viri boni videantur, atque ipſo volunt ſceleris molimine credi eſſe pij, quantò iniuſtiores Narſetes iſti inſolentes & temerarij, qui quidem re ipſa violenti & ſanguinarij cùm ſint, pietatis tamen ficto cultu fucum nobis faciunt, in quorum ore ſanctum piumq́ue verſetur, conſilio, conatu, animo ſecus afficiantur, qui dum malleolos facèſque ad incendendum regnū comparant, materiaque & flatu civile incendium alunt, religionem tamen prætexunt: *Sequentia verba quære pag. antepen. ſub litera B.*

XXII.

AD IOANNEM CHEMINIVM Epiſcopum Condomienſem.

IN PACIS INCENDIARIOS.



Vt qui olim famam ſibi facti à crimine quærens,
Manſuri & pignus, nominis inde ſui.
Divitijs Aſiæ longoq́; operoſa labore
Sacrilegâ incendit templa Epheſina, manu:
Tales, queis fictæ pietatis gloria certat
(Sed queis iam nemo credit abeſſe, ſcelus)
Auſi iterum belli ſubjecta exurere tæda
Delubrum Pacis relligione ſacrum.

Otia convertunt patriæ diſcoribus armis,
Civiliq́; iterum fœdera, noſtra tuba.
Sic jam ut vicinas capiant incendia gentes,
Diffuſa & toto flamma vel orbe ſonet.
At vos qui priſcæ ſuperatis crimina famæ,
Quosq́; agit in tantum, mens furioſa, nefas.
Noſtro hæc haud ſolùm, noſcant vos ſecula ſontes
Sanguine, qui ſitis poſteritasq́; ſciat.

Ad Embl. XXIII.

In Cleones noſtri ſæculi.

SAlamandra animal eſt lacerti figura, ſtellatum, nunquã niſi magnis imbribus proveniens, & ſerenitate deficiens: Ita quidam non apparent niſi ſtatu civitatis bello aut ſeditione turbato, iidem rebus pace compoſitis emoriuntur. Vt que qui anguillas capiunt priùs aquam turbant, ita Cleon non poteſt creſcere niſi priùs turbata Republica. Optimi quique paci ac tranquillitati Reipublicæ ſtudent, ſceleratiſsimi maximum bellum & perturbationes concupiſcunt, quibus afflicta fides in pace, rebus turbatis alacres, & per incerta tutiſsimi ſunt, ut qui privatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil ſpei niſi per diſcordias habent. Quibus autem quies in ſeditionibus, in pace turbæ ſunt, honores quos quieta Repub. deſperant, perturbata conſequuntur. Quantò quis audacia promptus, tantò magis fidus, rebusq́; motis potior habetur. In diſſidio vel Androclides fit Imperator. In ſumis difficultatibus etjam Carcinus honoratur. *Sequentia verba quære pag. antepen. ſub litera C.*

* Et

AD S-

XXIII.

AD SIMONEM GRASSVM Tricaſſ.

IN·CLEONES NOSTRI SÆCVLI Q. NISI TVRBATIS REB. LATERET



Vt quando cœlum nigreſcere cœpit ab Auſtris,
Et ruit effuſa turbidus imber aqua.
Carpere tum demum vitales incipit auras,
Temperie cœli poſt Salamandra perit.
Sic motus inter patria, belliq; procellas
Quum noſtris fervent omnia diſsidijs.
Emergunt multi pars ignotiſsima vulgi,
Sole iterum pacis qui redeunte latent.

Belli & rixarum faces.

HAnc artem heu nimium callent, multi ut diſsidia ſerant inter civitates, aut tumultus & bellum ſuſcitent privati compēdii & commodi cauſa, Turba gravis paci, placideq; inimica quieti, quos æs alienum odiũ & deſperatio rerum ſuarum eodem manente ſtatu, præcipites ad novanda omnia agit, & qui irritatis animis ſubdere ignem ac materiam ſeditioni ſtudent, qui cum nihil ſpei, niſi per diſcordias habeant, inſerunt querelas, ut ambiguos de principibus ſermones quæq; alia turbamenta vulgi, familiaritates ac amicitias ſubvertunt, turbarum faces artificeſq; tractandi animos plebis, quibus deniq; ut mare quod ſæva quietum vẽtorum rabies, motis exaſperat undis, ſic populus ſua ſponte placatus ut violentiſsimis vocibus attollitur. Qualis ad bella excitanda, diſcordiamq; in populos dividendam, pacemq; lacerandam teterrimæ inferum exire finguntur furiæ, nunc cum flagello nunc cũ face, nunc tuba bellicum canere.

Intremuêre tubæ, ſciſſo diſcordia crine
Extulit ad ſuperos Stygium caput.
Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra,
Quam cum ſanguineis ſequitur Bellona flagello.

Quale ſub Theodoſio Imp. Antiochiæ nocte præcedenti poſtquam ſuccedenti die ſeditio mota ibi fuit populo concitato in Imperatorem, ſpectrum mulieris viſum magnitudine inuſitatum, & aſpectu horrendum, quod quidem in ſublimi per civitatis plateas diſcurrens aerem diverberaret flagello horriſono, ut quemadmodum ad iram feras incitãt ii, qui ad hujuſmodi ſpectacula operam ſuam navant, ita hanc ſeditionem dæmon dum inſidiis genius aliquis malus commoviſse viſus ſit.

XXIIII.

AD FRANCISCVM CASPARVM, Tricaſſ. I. C.



Sunt qui odijs verſare domos, rixasq; ſerendo
Concordes ſoleant pellere in arma viros.
Prædam ipſi intereà ſibi rivum in turbine quærunt,
Rem faciant tantò commodiusq; ſuam.
Qualis ut oppoſitas arces committat Enyo,
Iniicit accenſas inter utramq; faces.
Sanguineúmve manu quatit horrida diva flagellum,
Tartareâ in pugnas exſtimulatve tubâ.

Bellorum inter principes eventus.

TAlis eſt ferè conflictatio regum inter ſe belligerantium utriuſq; malo, qualis ollæ cum olla colliſio. Videntur pares qui non fecerunt inter ſe periculū virium, qui fecerunt hos nō rarò pœnitet etiam qui vicerunt, & utriq; parti ſæpe tantundem accidit incom̃odi: Mars communis eſt qui ſæpe ſpoliantem jam & exultantem emetit & perculit ab abjecto, ſæpe proprius periculo ſunt qui vicêre victoriæquè nomen penes victores eſt, cæterum pro victis fortuna & illos gerit. Ita in perſequendo bello & victis & victoribus ſæpius eſt pereundum. Cadmea hæc victoria eſt quæ fuit fratrum apud Thebas hic principibus in bella ruentibus plerunq; exitus eſt, quum mobiles animos ſpecies injuriæ perculit. Aguntur ſtatim & quò dolor traxit eò ruunt, ruunt in pugnam, certamina ſibi acerſunt, imbecillitatis obliti & ad frangendum fragiles conſurgunt, non ſine pernicia ſua pernicioſi, & ea deprimentes quæ mergi niſi cum mergente non poſſunt. Accidit autem ſæpe ut nonnulli alii veluti aquam luxatis & diſjunctis aſpergentes, ſubvertant familiaritates, odio habentes ambos quidem quos inter ſe committunt, ſed inſidiantes ei, qui ob infirmitatem citius ceſſurus ſit. Quis non vidit inter matutina arenæ ſpectacula tauri & urſi pugnam inter ſe colligatorum, quos cum alter alterum vexarit, ſuus confector ſpectat. Idem faciunt principes alii in alios furentes, ſeque invicem laceſſentes, quibus victo victoriq; finis æquè maturus immineat.

XXV.
AD CLAVDIVM à ROVSSY-
Orignium.

BELLORV̄ EVĒTVꝰ VTRIVSQ. PARTIS MALO.



Dum paribus luteæ concurrunt viribus ollæ,
In varias partes utraq; quaſſa perit,
Hunc finem inveuiunt belli ſæpiſsime Reges,
Cum victo victor ſorte caditq; pari.

AD PHI-

Eventus belli civilis imago.

VT Hominibus, ſic urbibus & magnis imperiis ſui morbi nunc extrinſecus obrepunt nunc ipſum intra corpus exoriuntur, in quibus ſunt ſeceeſsiones, ſimultates, diſcordię & bella civilia. Alter alterum inflammat, ſinguli furorem publicum exciverint, tum demum furor publicus ſingulos urget ac præcipitat, qui velut tempeſtate correpti non eant, ſed agantur, & furenti malo ſerviant, ad arma protinus diſcurrant, alii in alios quam maximo poſſunt impetu ruant, non ſine pernicie ſua pernicioſi pericula appetentes ſua, gaudentes feriri & inſtare ferro, & tela corpore urgere & per ſuum vulnus ex ira cędentes pariter, pariterq; ruentes victores victiq;. Eſt ubi plus vulnerum ac funerum victorioſa pars computat. nihil tam magnum ut non nimio queri poſsit. Et bella utriuſq; partis pænæ ſunt. Sæpe pars utraq; & perimit & perit. Sic fortuna regit ſemper civilia bella, ut victo victor non ſupereſse velit, ſuoq; Marte cadũt ſubiti permutua vulnera cives, ſeu qui finguntur ex dẽtibus ſerpẽtis Cadmei nati homines armati qui omnes ſe mutuis ipſi vulneribus confecerint. Qualis dimicationis inter elephantem & draconem finis eſt, ut & elephas quẽ circumflexu ambit hoſtis nixuq; nodi præſtringit, victus corruens complexũ draconem elidat pondere, ut vix quidquam tam imbecille natum eſt, ut ſine elidentis periculo pereat: Qualis eventus pugnæ Aquilæ cum dracone, quem rapit ubicunq; viſũ ille multiplici nixu alas ligat ita ſe implicans, ut ſimul ab aëre decidant, quale cum eadem internecium bellum gerit nocturnus accipiter cymindis dictus, adeò ut cohærentes ſæpe præhendantur. Hoc inter homines belli civilis caſus ferunt Marſq; communis. Hoc jam proprium patriæ naturæ malum quod omnibus eſt commune, niſi hæc belli ſpecies pluſquam civile bellum dici debet, ubi non ſolum cives ſed cognati etiam inter ſeſe cum utriuſq; partis pernicie pugnant quale inter Cæſarem & Pompejum fuit, de quo dictũ eſt,

Ille locus fratres habuit locus ille parentes.

XXVI.

AD PHILIPPVM SENNETONIVM-Verribium.

EVENTVS BELLI CIVILIS IMAGO.



Qualis ubi caudâ ſpatioſi corporis hoſtem eſt
Complexus, modis implicuitq́; draco.
Iam ſe & victorem credit, ſimul ipſe ruentis
Mole feræ preſſus terga caputq́; perit.
Sic pereunt noſtri per mutua vulnera cives,
Victoresq́; ſimul victi & utriq; cadunt.

 AD NI-

Reconciliatio.

QVercus & olea tam pertinaci odio diſsident, ut altera in alterius ſcrobe depacta, moriantur, immo etiam quercus exciſa radices, noxias oliveto relinquit, quarum virus enecat oleam. Hæc verò cum ſit Pacis Hieroglyphicum, manſuetudinis ac lenitatis judicium, cujus liquor non ſolùm emolliat corporis omnia tum interna, tum externa, ſed tempeſtates etiam & maris procelloſos fluctus ſedare dicatur, excogitatum eſt quercum (ea præterea inſignem aſperitate quæ omnibus conſpicua eſt) olea implicare, cùm iracundiam atq; inexorabilem animi aſperitatem ſeſe ad lenitatem dediſse aut daturam eſse ſignificandum erit. Et quis dies futurus eſt nobis qui publica tollat belli ſemina, quæ populos ſemper merſêre potentes? qui rabiem civicam qui furorum arma miniſtrantem, qui vim eximentem ociũ, iramq; leniat, iram quæ procudit enſes, & miſeras inimicat urbes? qui Heſychiam illam pacis comitem, laborum medelam ſanitatemq; animis reddat. Nunquam aſpera poſitis miteſcent ſecula bellis? Nunquam priſcus amor redeat diductoſq; fratres jugo pacis cogat aheneo? Nunquam hęc rapiet diſcordia finem? Nunquã à diuturnis diſsentionibus conquieſcemus? Parum ne campis atq; Neptuno ſuperfuſum eſt Gallici ſanguinis, num ſatis jampridem ſanguine noſtro, noſtra ipſi luimus perjuria? Nunquam reconciliabitur gratia? Perpetuus erit belli civilis amor, perpetuaq; cura, ſemperque inimicitias iſtas Pelopidarum renovare juvabit? Nemo acum & filum ſumet ut hanc rupturam conſuat? Tu ſalubris providentiæ miniſtra quæ victos victoribus irâ in amicitiam mutare permiſcere ſoles, Tu hoc age, frondibus Actiacis comptos redimita capillos pax ades, & noſtro mitis in orbe mane.

XXVII.

AD NICOL. HARLEVM-SANSCIVM.

RECONCILIATIO.



Miti dura, nouo fuerit ſi quercus amore
Iuncta oleæ, Pacis propera ſcyna dabit,
Quæ, mollire animis tumidas diſcordibus iras
Aſpera quæ ad ſeſe flectere corda queat,
Irarum cauſas, odij quæ ſemina tollat,
Diductaſque iterum, nectat amicitias.
Diviſos Pax alma redi coniungere fratres,
Diuiſis iterum Regibus alma redi.

 AD IOAN.

Paci ſtudere præſtat quàm bello.

NArrant Poëtarum Hiſtoriæ, enata fortè in Athenarum arce oliva, ſed & aquarum ſcaturigine mox emanata, Cecropen id temporis Regem animo ad hæc prodigia obnoxio, ſanaq́, territum, & ne futurarũ calamitatum hæc portenta forent prænuntia, ſciſcitatum Apollinis oraculum miſiſse certos homines qui & oſtenti cauſam perquirerent, & avertendæ deorum iræ, ſi quid illi minitarentur rationem diſcerent. Legatis verò reſpondiſse Pythiam, juſsiſseq; interim bono ut eſſent animo, neq; enim oſtentum id hominum malo aliquo factum, ſed deorum duorum contentione certantium inter ſe, uter Athenis imponendi nominis author eſſe debeat, per oleam enim Minervam, per undam Neptunum ſignificari, Quod autem hîc de unda, alii de equo Neptunio tradidêre. Porrò cùm dii duodecim à Iove judices dati eſsent qui hanc litẽ ſolverent, urbemq; adjudicarunt illi qui rem utiliorem generi humano protuliſſet, eos Cecrope Rege teſtimonium dicẽte pro Pallade pronuntiaſſe, ejusq; dona donis Neptuni judicata potiora, quamvis hæc eſsent ſuperbiora & ad amplitudinem urbis & imperii latitudinem promovendam magis accomodata, quod oliva inter alia pacis ſignũ ſit, quę bonorum omnium opulẽtiam & ubertatem ſecũ afferat. Pax optima rerum quas homini noviſse datum, pax una triumphis innumeris potior, cum etiam arma ſignificata per equum (Bello armãtur equi, bellum hæc armenta minantur) ideò inferri dicãtur, ut poſtea in pace vivatur, Qua ei ſymbolo fertur uſus Martianus Imp. Quando in pace vivere poſsumus, non eſt opus induere arma. Et quis tam ſtultus ſit qui paci bellum præferat? num pax vel injuſtior non utilior cenſenda quàm juſtiſsimum bellum cum civibus, Qui aliter ſentit ille ſine cognatione ſit & nunquam deſinat à cubito ſagittarum cuſpides eximire.

XXVIII.

AD IOAN. POICTERCINIVM, Agendic. I. C.

PACI STVDERE PRÆSTAT QVAM BELLO.



Quo quisq; Actæam ſibi pignore vindicet urbem:
Decertant Pallas Tænariusq́; Deus.
Edit Terra ferum, Divi percuſſa tridente,
Cum baccis oleum cuſpide facta Deæ.
Miratus Cecrops, Pacis tandem omina præfert:
Iudice & hoc vincit non dubitante Dea.

Quem nulla pericula terrent.

ADamantes incudibus deprehenduntur, ita reſpuentes ictum, ut ferrum utrinq; diſsultet, incudeſq; etiam ipſæ diſſiliant. Quippe duritia inenarrabilis eſt, ſimulq; ignium victrix natura & nunquam incaleſcens. Nec ſecari nec cædi vel teri poteſt, ſed incurrentia ultrò retundit. Vnde & nomẽ indomitæ vis græca interpretatione accepit. Quemadmodum quædam alia non poſſunt igne conſumi, ſed flamma circumfuſa rigorem ſuum habitumquè conſervant. Ex hac tibi nota virum fortem exhibeo quem bella non ſubigunt nec admota vis hoſtilis exterret nec refert quàm multa in illum conjiciantur tela, cum ſit nulli penetrabilis, cui arma & acies dant argumenta alacrioris ſemper animi indomitiq; terroribus, quale certius robur eſt quod non vincitur, quàm quod non laceſſitur, & dubiæ ſunt vires inexportæ, at meritè certiſsima firmitas habetur quę omnes incurſus reſpuit, & vir fortis melioris eſt naturæ, ſi nullius illi injuria nocet, quàm ſi nulla fit. Et quemadmodum projecti in altum ſcopuli mare frangunt, nec ipſi ulla ſævitiæ veſtigia tot verberati procellis oſtentant: Vtq; tot amnes tantum ſupernè dejectorum imbrium, tanta mediterraneorum vis fontium non mutant ſaporem maris nec remittunt quidem, ita viri fortis animus ſolidus eſt, & id roboris collègit ut quã maximè tutus ſit, ita adverſarum impetus rerũ illius non vertit animum, manet in ſtatu, & quicquid evenit in ſuum colorem trahit. Eſt enim omnibus externis potentior, Nec hoc dico, non ſentit illa, Nec enim lapidis illi duritiem ferriuè aſserimus, ſed vincit & alioquin quietus placidusq; contra incurrentia attollitur animo contra calamitates forti et contumaci. Omnia adverſa exercitationes putat. Quoſdam ictus recipit, ſed receptos evincit, ſanat & comprimit. Has habet quo illa reſpuat pulcherrimã omnium virtutẽ, animi magnitudinem, qua ea que videntur acerba, quæ multa & varia in hominum vita, fortunaq; verſantur, ita fiet ut nihil à ſtatu naturæ decedat, nihil à dignitate ſua erecto ſemper & minime perturbata eſt animo, etiamſi premitur & infeſta vi urgetur, non cedit, non metu frangitur, invictũq; ſe à labore præſtat, ſic contra caſus indurat, ut nec inclinari quidem, nedum vinci poſsit. *Sequentia verba quære in fine ſub litera E.*

* Inter-

XXIX.

QVEM NVLLA PERICVLA TERRENT.



Aduerſa uſque licet Regem fortuna laceſſat
Vſque licet ſæuas intonat illa, minas,
Obnixus contra, non cedere, ſuſtinet ille
Cladibus obdurat fortior atque ſuis.
Virtute ipſa ſua ſe ſe inuoluenſque, recentes
Inuictus vires ſufficit ipſe ſibi:
Qualis, non Adamas ullo contunditur ictu,
Vique ſua ferri duritiem ſuperat.

Macte

Macte iſta virtute Iouis certiſſima proles
Infragilem quem tot dura pericla, premunt,
Quem, non diua ſocrus, quem non Sthenebleius hoſtis
Non quæ circunſtant vincere monſtra valent
Macte iſta virtute Iouis veriſsima proles
Non niſi qui fuſo victor ab hoſte redis:
Sic ſupra ipſe tuos purgare perge labores,
Sint clauæ & ſemper fortia facta tua.

Ad Embl. XXX.

Majore fortuna quàm ſapientia.

SAEPE praua magisquàm bona conſilia proſpice eveniunt, quia pleraſq; res fortuna ex libidine ſua agitat. Multa mala conſulta quam hoſtes inconſultiores nacta ſunt, felicẽ exitum habuerunt & longè plura quę rectè conſulta videbantur, contra turpiter ceciderunt. Multi ſunt inconſulti felices, malis conſiliis utentes, minime autem dextre, quibus quod malum videbatur cedit in bonum. Qualis notata eſt Athenienſium δυσβουλία quam Neptunus à Minerva victus cum non poſset regione Attica potiri, immiſiſse illis fertur, ſed quorum malè inſtituta & quod ipſi ſocorditer conſultaſsent, Minerva civitatis Præſes bene vertere conſueviſset, tributumq; inde ipſorum urbi ut magis fortunata quàm provida diceretur. Ita in nonnullis proſpicè agunt ſtolidi, & non raro velut in arte navium gubernatrice, peritiſsimi etiam parùm ſecundã fortunã experiuntur, ac velut in aleæ jactu alius nihil, alius multũ lucratur. Ea fortunę ludibria ſunt, mirificè quoſdã fovet, omnia què ſine labore eis ſuggerit, ſunt quidam hoc ſeculo ut ad amplitudinem & res bene gerendas divinitus iis adjuncta fortuna atq; etiã venti ipſi tempeſtatesq; obſecundare videantur. *Sequentia verba quære pag. antepen. ſub litera D.*

* Et

AD NI-

XXX.

AD NICOL. PITONEVM CHANGO-Ebertium Tricaſſ.



Huic urbes captas fortuna in retia cogit,
Dum iacet, & molli membra quiete levat.
Sic multis mens læva, quibus ſint numina dextra,
Et malè res cæptæ, res benè ſemper eat.

I AD CA-

Ducis & Principis vigilantia.

Vigilantia & ſolicitudo maximè conveniunt Principi, qui tantam ſarcinam ſuſtinet humeris, qui impoſitum fert unus onus, cujus vigiliæ omnium domos, omnium otium labor, omnium delitias induſtria, omnium vocationē defendit occupatio. Ex quo ſe illo Reipub. dedicavit, ſibi eripuit, & ſiderum modo quę irrequieta ſemper curſus ſuos explicāt nunquā illi licet nec ſubſiſtere nec quicquam ſuum facere, nobilioribus animis curæ vigiles impendent. Boni Ducis officium eſt ſuorum ſalutem in vigilantia ſua, non in aliena fide ſitam arbitrari: Vigilare eum oportet qui vult ſua tempori conficere negotia, nemo ſtertendo victoriā cepit. Turpe duci totam ſomno conſumere noctem, vigili ſtant bella magiſtro. Populis ſtertentibus vigilant Reges, ſopitoq́, duces vigilant exercitu, quod & res docet & Ilias probat Homerica, ubi Iupiter ſolus vigilare fingitur diis omnibus reliquis dormientibus, ſolusq́; ſecum perpendere bellorū eventus, & quo pacto res ſint tractandæ, ſolus & Agamemnon, dum reliqui Danaum proceres noctem uſq; per omnē domirent. Sic in Aeneide, & pius Aeneas per noctem plurima volverit. Et legum cuſtodes Plato vult noctu ſurgere, & Socrates gubernatores in ſomno capiendo continentes eſse, ut poſsint & tardè dormire & ante diluculum ſurgere & vigilare ſi opus ſit. Sic Ageſilaus ſomno non domino ſed rebus agendis ſervienti utebatur. Alexander magnus ænea cōcha ſuppoſita brachio extra cubile protento pilam tenebat argenteam, ut cùm nervorum rigorem ſopor laxaſset. Epaminondas Thebanis ſolutiùs diebus feſtis computantibus ſolus vigil ac ſobrius arma luſtrabat, & urbi obambulabat mœnia infuſus, geſtaminis lapſi tinnitus abrumperet ſomnum. Vlpius Marcellus à Commodo Imp. adverſus Britannos miſsus, dux omnium vigilantiſsimus, quamquam ſomno alioqui reſiſteret, natura tamen quo magis id facere poſet, inedia perfecerat. Iulianus Imp. nocte dimidiata ſemper exſurgebat, & quoties voluit, evigilavit. Et Georgius Caſtriottus Scanderb. quo tempore Epirum recepit, duabus horis tantum per ſingulos noctes ſomno indulſiſse fertur.

XXXI.

AD CAROLVM LVXEMBVRGIVM COmitem Briemenſem & Ligniacum.



Turpe duci totas ſomno perducere noctes,
Qui belli totum ſuſtinet nnus onus.
Senſit Alexander, quum, ne violentia ſomni
Incautum opprimeret, languidiorq; queis.
Appoſito iuxta ſuper exertabat aheno
Extentam, globulo ſemigravemq; manum.
Qui daret elapſus ſonitum, ſtrepituſq; ſonoros,
Excuſſus ſtratis excuteretq; ſopor.

Ad Embl. XXXII.

A prudentia victoria.

NON minus eſt Imperatoris conſilio ſuperare quàm gladio: Quin ſemper in bello plus ingenio quàm robore corporis homines poſse, pluraq; in ſumma fortuna auſpiciis & conſiliis quàm telis & manibus geri compertum eſt. Non ſolis viribus æquum credere, ſæpe acri potior prudentia dextra eſt. Hæc utplurimum bonam fortunam donat, fortuna verò prudentiam non facit, neq; ulli plus quàm conſilium valet, ducis autem in conſilio poſita eſtuirtus militũ, & qui rectè ſapiunt, ubiq; vincunt. Inventus in urbe vir ſapiens, liberabit eã ab obſidione per ſapientiã ſuam: contrà civitatem fortium aſcendet deſtruetq; robur fiduciæ ejus, cum diſpoſitione initur bellum, & erit ſalus ubi multa conſilia ſunt: quorum cum prudentia, mater ſit parùm arma proficiunt, niſi quæ per eam adminiſtrantur. Indicant id ſtatuæ Palladis ubi qua armatæ, & à prudentia victoriam, bellaq; vi non geri, ſed conſiliis quibusvis ipſa belli cedat, notabat ſtatua Bacchi Lacedæmona lauream gerens lauro circumfuſam, cujus foliis & ipſa laureæ cuſpis tecta eſset. Ideoq; Carthaginenſes ſuos duces bella pravo conſilio gerentes, etiamſi proſpera fortuna ſubſecuta eſset, cruci tamen ſuffigebant. Annibal Fabii Max. dictatoris prudentiam non vim extemplo timuit, tacita cura animum incenſus quod cum duce haudquaquam. Flaminio Sempronioq; ſimili futurã ſibi rem eſse videret. Et Fabius ipſe ſacrorũ cauſa Romam revocatus, cum M. Minutio Magiſtro equitum agebat, ut plus conſilio quàm fortunæ cõfideret, atq; cum ejus cunctatio accuſaretur à M. Metello Trib. pl. dicebat ſi penes ſe ſumma imperii cõſiliiq; eſset, propediem effecturũ ut ſcirent homines bono Imperat. haud magni fortunã momẽti eſse mentẽ rationemq; dominare. Tantò autem major eſt gloria victoriæ à prudentia Imperatoris quod ipſius propria eſt, nihil illi ex illa Centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit, neqq; ullam partem ſibi vindicat fortuna, nunquam enim temeritas cum ſapientia commiſcetur nec ad conſilium caſus admittitur.

XXXII.
AD IOACHIMVM TINTEVILLANVM.



Sæpe animis etiam in bello Prudentia, ſæpe
Acri etiam dextra eſt, viribus & potior.
Et quæ cum dubijs victoria quæritur armis,
Conſilij poſita eſt omnis in arbitrio.

Ad Embl. XXXIII.

Dimidium victoriæ hoſtem noſcere.

QVi feras venantur, priùs naturam earum expendere, conſiliumq; pro moribus & ingenio cujuſq; capere ſolent, ut eas fallere vel cum minore periculo aggredi, faciliùſve domare poſsint. Injecto in oculos ſago, leo ſine ullo negotio capitur, alioqui inexpugnabilis. Quam rationem Romæ principatu Claudii caſus docuit, pudendam penè talis feræ nomine, paſtoris Gætuli ſago contra ingruentis impetum objecto: quod ſpectaculũ in arenam protinus translatum eſt, vix credibili modo torpeſcente tanta illa feritate, quamvis levi injectu operto capite, ita ut devinciatur non repugnans, videlicet cujus omnis vis conſtat in oculis. Quo minus mirũ fit à Lyſimacho Alexãdri juſſu ſimul incluſo ſtrangulatum leonem, cujus eam naturam ille perſpectam haberet. Ita proprium optimi ducis officium eſt, conſilia & naturam hoſtium intelligere, eoſq; bene cognoſcere quo maximè pacto capi poſsint. Et Chabrias optimos Imperat. eſse dicebat qui res hoſtium notiſsimas haberent. Ac ſicut medico diligenti priuſquã conetur ægro adhibere medicinã, non ſolùm morbus ejus, cui mederi volet, ſed etiam cõſuetudo valentis & natura corporis cognoſcenda eſt, ſic providus Imperator qui bellum alii movere parat, priuſquam ultimo periculo tentet, omni mente in ea cogitatione curaq; verſatur ut odoretur quàm ſagaciſsimè poſsit, quid ſentiant quidve exiſtiment hoſtes, quàve falli aut capi facillimè poſse videantur, ut nec adverſari vel repuguare valeant. Hæc belli furta pulcherrimam habent gloriam, & ut plurimùm ex animi ſententia rem bene gerat, hoſtemq; etiam potentiſsimum facile ſuperare & opprimere poterit, qui illius ingenium & vires optimè animadverterit.

XXXIII.

AD FRANCISCVM LVXENBVRGIVM Ducem Pinæij.

DIMIDIV̄ VICTORIÆ HOSTEM NOSCIBE



Quantumuis ſæuos poteris frænare leones
Iniecta his oculos ſi, modò veſte tegas.
Sic quorum ingenium virèſque expenderis antè
Poſt facilè oppreſſos & ſuperare potes.

AD PHI-

Conſilium & perſeverantiam plus poſſe quàm vires.

SErtorius proſcriptione Syllana dux Luſitanorum fieri coactus, cùm eos oratione flectere non poſset, nec cum Romanis univerſa acie confligere vellent, vafro conſilio ad ſuam ſententiam perduxit: duos enim in conſpectu eorum conſtituit equos, alterum validiſsimum, alterum infirmiſsimum: ac deinde validi caudam ac imbecill.. ſene paulatim carpi, infirmi à juvene eximiarum virium univerſam convelli juſsit. Obtemperatum imperio eſt. Sed dum adoleſcentis dextra irrito ſe labore fatigat, ſenio confecta manus miniſterium executa eſt. Tunc barbaræ concioni quorſum ea res tenderet cognoſcere cupienti, ſubjecit, equi caudæ conſimilis eſt noſter exercitus, cujus partes aliquis aggrediens opprimere poſsit, univerſum conatus proſternere, celerius tradiderit victoriã, quàm occupaverit. Ita gens barbara & aſpera & regi difficilis, in exitiũ ſuum ruens, quam utilitatem auribus reſpuerat, oculis pervidit. Sic in omni negotio nimio plus habet momenti ratio conſiliumq; quàm vires. Roburq; ingenii & moderatricis prudentiæ expers, amens fertur, omnia confundens. Plura conſilio quàm vi perficiuntur, nec viribus aut velocitatibus aut celeritate corporum res magnæ geruntur, ſed conſilio & prudentia. Quin multa quæ natura impedita ſunt eo expediuntur, Quæ vox fuit Annibalis ad Tarentinos cùm plauſtris transuehendas naves per urbis vias in mare ad arcem obſidendam ſuſcepiſset. Qui dubiis auſus committere fluctibus alvum, quas natura negat præbuit arte vias, ſapientia gubernator navem torquet, non valentia conſilio auriga aurigam vincitq; præitq; ſapientia urbes & agros regit, vir ea præditus præſtantior eſt, & agros regit, vir ea præditus præſtantior eſt robuſto. Lentus vir prudẽter capiet celorem hominem & ſuperat qui conſilium in numerato habet, licet non perinde manu ſtrenuus. Mens una ſapiens plurium vincit manus: ut qui rectè deliberat, is contra hoſtes magis pollet quàm qui temeraria viriũ ferocitate fretus in eos fertur & factis aggreditur. Sic unquam vires conſilio potiores, ſic caudæ pilos equinæ paulatim vellet qui quod viribus atq; impetu fieri nequit, id tempore atq; aſſiduitate conficit, perſeverantia plus efficitur quàm violentia, multaq; quę ſimul opprimi nequeũt, paulatim atteruntur. Adeò intolerabilis eſt vis perennitatis qua omnes inſequens tempus evertit & conficit vires, placideque adſiſtitiis qui conſilio ejus operiuntur oportunitatem, at intempeſtivè urgentibus eſt inimiciſsimum.

Dionyſij Lebei-Batillij Emblemata.

XXXIIII.

AD PHLIP. HVRALTVM-CHIVORnium, Galliæ Canbellarium.



Binas in partes bina hic certamina cernis
Depicta, & ſignis quæque notata ſuis.
Hinc membris & mole valens & viribus audax,
(Quales Romanis Thracas arena dabat.
Stans iuvenis, nudo manuum conamine caudam
Invalidi fruſtra vellere tentat equi:
Pigmæo inde alius brevior, iam & ſegnior annis,
Et cui vix tenuis contegat oſſa cutis.

Acris equi vegetiq́; pilos caudæ extrahit omnes,
Dum paulatim unum demit, itemq́; alium.
At plus iſta mihi eſt quàm quod videatur, imago,
Conſilio vires ſuppoſitasq́; notat.

Ad Embl. XXXV.

Quod viribus nobis diminutum eſt, arte ſuperatur.

QVando quippiam præter naturam oportuerit facere, difficultate ſua hæſitationem præſtat, arteq́; indiget. Quãobrem eam artis partem quæ hujuſmodi ſuccurrit difficultatibus, mechanicam appellamus. Quemadmodum enim Antipho ſcripſit poëta, Arte ſuperamus ea, à quibus natura vincimur. Hujuſmodi autem ſunt inquibus & minora ſuperant majora, & quæcunquè momentum parum habent, magna mouent pondera, & omnia ferè illa quæ mechanica appellamus problemata. Qualia Archimedis fuêre inventa, inter quæ predicãda maximè Helice quæ hîc vectis nomine ſignificatur, clavicula aliis vitis vel viticula dicta, machina parva, cochlearum inſtar claviculatim ſpiratimq́; ſtriata, cujus circumductu graviſsima attolluntur & ſuſtinentur pondera, & quæ quiſpiam virium imbecillitate loco movere non poſsit, ea ipſa facilè commovemus. *Sequentia verba quære in fine ſub litera G.* Et

AD IO-

XXXV.

AD IOAN. TRAVALTVM CIVEM Metenſem.



Pondera quòd vectis valeat tam vaſta movere,
Inq; altum tantæ tollere molis onus.
Quanto hominum, nullæ valeant ſubſiſtere vires,
Qualia nunc hominum corpora terra creat,
Mirandus faber Ars, Naturâ operoſior ipſâ,
Viribus ipſa ſuis ingenioſa facit.

Ad Embl. XXXVI.

Quantò plus ad meliora vel deteriora ſtudia conferat inſtitutio & educatio quàm genus.

AD virtutis perfectionem tria oportere concurrere pronunciant philoſophi & morum magiſtri, naturam nimirum, educationem vel doctrinam, & aſſuefactionem vel exercitationem. Sed hæc duo poſtrema ad eam concipiendam longè plus adferunt momenti quàm genus aut natura. Quod Lycurgus commonſtrare volens Lacedæmoniis, ut eos exuſitata delicatæ vitæ ratione ad magis ſobriam traduceret, virtutisq; ſtudioſos redderet, productos in concione duos catulos iiſdem natos parentibus, ſed quorum alterum domi deſidentem, alterum indagini & venationibus aptum educari curaverat, poſita in medio patina cum quibuſdã gulæ irritamentis & lepore, dimiſit, moxq; alter leporem alter patinã petiit, ad id vterq; ſe invitans ad quod erat aſſuefactus. Neq; enim ingenerantur mores tam à ſtirpe generis & ſeminis, quàm ex iis rebus quæ à vitæ conſuetudine ſuppeditantur. Atq; iidem Græco ſermone nihil ſunt quàm aſſuefactio diuturna, neq; abs re morales virtutes dixeris virtutes conſuetudinis eorum lingua. Ac planè perparvi refert quibus majoribus ſis natus, ſed multò maximè quibus rationibus educatus, quibuſq; moribus ſis inſtitutus, qui ſunt quaſi cunabula & elementa virtutis, certiſsimaq; indolis experimenta, & pleroſq; iis moribus & inſtitutis ſimiles evadere neceſse eſt, quibus ſinguli educati fuerint. Neq; enim dat natura virtutem. Ars eſt bonum fieri. Virtus non contingit animo niſi inſtituto & edocto, & ad ſummum aſſidua exercitatione perducto. Ad hoc quidem, ſed ſine hoc naſcimur, & in optimis quoq; antequàm erudias, virtutis materia, non virtus eſt, doctrina vim promovet inſitam, rectiq; cultus pectora roborant. At ſicut in ſentes ager qui eſt natura fœcundus exuberat, ſic animus incultus vitiis ſua ſponte invaleſcentibus velut ſpinis obducitur: Vtcunq; verò defecere mores, dedecorant bene nata culpæ, ut multos referre liceret qui ab avitarum imaginum ſplendore degenerent teterrimis ignaviæ ac nequitiæ ſordibus imbuta nobilia portenta.

XXXVI.

AD PETRVM PITHOEVM Tricaſſin. I. C.

QVĀTO PL⁹ CŌFERAT ĪSTITVTIO ET DVCATIO Q.M GENVS



En quàm diverſi, nati ambo parentibus ijsdem;
Diverſa hîc animi dant documenta canes,
Venandi ad ſtudium teneris formatus ab annis
Immiſſam inſequitur dum celer ille feram,
Hic alter contrà deſes nutritus in aula,
Proiectos rapido dum petit ore cibos.
Sic genus excolitur ſtudijs, ſic degener exit
In vitium incultæ Nobilitatis honos.

Philoſophiâ maximè nobilitari homines, in prudentia omnis defenſionis rationem contineri.


ACHillis hic eſt Homericus clypeus, cui Vulcanus miranda inſculpſerit inſignia, non illa quidem à ſplendore majorum Achillis petita, non ſceptrum aut fulmen aut tridentem non Thyphonem fumos ore efflantem, non Sphingem, aut Gorgonis colubri ferum caput, non Minotauros, Harpyas, urſos, leones, non centum angues aut cinctam ſerpentibus hydram, & id genus horrendas beluarum facies, quibus illa terribiliora redderentur, apta ſcilicet & convenientia iis quibus præter majorum decus nihil amplius aſcribi poſsit: ſed omnem ſyderum veritatem, belliq; & pacis artes omnes & officia, nulla ferè earum rerum parte quę ad gubernationem hominum pertinet, omiſsa. Quo nihil aliud ſignificatum voluit ingenioſiſsimus poëta, quàm ea quæ habent ſpeciem gloriæ collecta ex inaniſsimis ſplendoris inſignibus, contemnenda, verum decus in virtute poſitum eſse, quæ maximè illuſtratur magnis in Rempub. meritis, atq; ita nos à Philoſophia non otioſa & inerti, ſed quæ ad uſum & res gerendas revocetur, præcipuè nobilitari, illudq; nobis firmiſsimum contra omnes fortunæ impetus ſcutum fore, ſi virtutis & ſapientiæ panoplia armati fuerimus, animumq; ſtudiis & dotibus illarum excoluerimus. Nobilitate quidem generis quemadmodum alia aliqua re honeſta gloriari non indecorum eſt, tamen parum eſt ad eam cõfugere ſi nullum aliud fuerit bonum proprium. Veritatis lex proprias cujuſq; requirit laudes. Nec idcirco equus eſt celer, ſi ex celerrimis natus ſit, ſed ut cæterorum animalium in ſe quoquè ſpectatur ſic viri laudes ſua cujuſquè præclara facta teſtantur. Nec optimum frumentum ex pulchritudine agri æſtimamus, ſed ex eo quòd cibum optimum habeat, nec virum bonum qui ex nobili ſit propagatus genere, ſed qui optimis prędítus ſit moribus. Quis generoſum dixerit hunc qui indignus genere & præclaro nomine tantùm inſignis? Stemmata quid faciunt, quid imaginibus quid avitis fulta triumphis atria, quid pleni numeroſo Conſule faſti profuerint, cui vita labat? Inanis hæc eſt ambitio, non ſuo merito, ſed aliorum oblivione ſubnixa. Nemo in noſtram gloriam vixit nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Et genus & proavos & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra vocem. *Sequentia verba quære in fine ſub litera H.*

Non

XXXVII.

AD ILLVSTRISSIMVM CAROLVM Cardinalem Borbonium.

PHILOSOPHIA MAXIME NOBILITARI HOMINES.



Mirandum clypei vixq́; enarrabile textum,
Ac non humanæ conſpicis artis opꝰ,
Pelidi qualem, decus & tutamen in armis
Nereis, nato mater habere dedit.
Illis, non Aquilas, non criſtatoſq́; dracones
Fecerat ignipotens, terribileſve feras.
Non aviæ, aut Thetidis, patris aut inſigne vetuſtum,
Cælata aut proavi fulmina dira Iovis.

Sed

Sed mare, ſed terras, & quod vertigine cœlum
Aſsidua rapitur, ſideraq́; ipſa trahit,
Arcturum, pluviaſq́; Hyadas, geminoſq́; Triones,
Ventoſq́; & nives, Pleiadumq; chorum.
Et quem olim comitem ſibi Delia ſumpſit, & illum
Serum agitare boves quem ſua plauſtra tenent.
Vrbeſq́; & populos, & raſtra, & prælia, leges,
Iura, magiſtratus, fœdera, ſacra, fides.
Iuſtitiaq́; ſimul belli, pacisq́; labores,
Atque artes Phœbi, paciferiq́; Dei.
Hæc nempe & rerum occultas cognoſcere cauſas,
Doctrinâ & mores excoluiſſe ſuos,
Hoc unum, noſtrum eſt quod avorum vincat honores,
Omnia alia & generis nobilitate prius:
Hic clypeus, nobis unus tela omnia contra
Fortunæ, atque in quem torta, retuſa cadant.

AD IA-

Ad Embl. XXXVIII.

Adeò in teneris aſſueſcere multum eſt.

OMnes habitus ex operationibus ſimilibus fiunt , qua propter tales quaſdã operationes reddere oportet nec parũ ſed plurimùm, quin potiùs totũ refert, ſi an non ſic homines à primis annis conſueſcant. Vſq; adeò magni refert ſtudium atq; voluntas, & quibus in rebus conſuerint eſse operati. Quibuſcunq; autem rebus aſsueſcere & exerceri juventus poteſt, ſine ingenii induſtria ſive militari, aut alio quovis labore, commodius eſt id paulatim ſenſimq; primũ fieri, dein teneræ mentes aſperioribus formandæ ſtudiis, ut rudimento in parvis poſito, majora deinceps majoraq; audendo proficiatur in ſummã. *Sequentia verba quære in fine ſub litera F.*

Diffi-

XXXVIII.

AD IACOBVM DVCATIVM, F. F.



Geſtando vitulum longa aſsuetudine fecit
Vt taurum poſſet poſtmodum ferre Milo.
Diſce puer magnis paulatim aſſueſcere rebus,
Molliri & nervos non patiare tuos.
Sed tolera & duro ſub faſce enitere contrà,
Porro te nullum debilitabit onus.

Naturam furcâ expellas, tamen uſq; recurret.

QVod hic fele quę in convivio diſcumbentibus candela prætenſa, Daduchi miniſteriũ præſtiterit, donec viſo mure in eum protinus inſiliens & officium & menſam turbarit, ſimile alii narrant de ſimiis in hunc modum. Rex quidam Ægyptius ſimias aliquot inſtituit ut ſaltãdi rationem perdiſcerent. Vt enim nullum animal ad figuram hominis propius accedit, ita nec aliud actus humanos aut meliùs aut libentiùs imitatur. Artem itaq; ſaltandi protinùs edocta ſaltare cœperunt, inſignibus indutæ purpuris ac perſonatæ. Multoq; jam tempore majorem in modum placebat ſpectaculum, donec à ſpectatoribus facetus quiſpiam, nuces quas clanculùm in ſinu geſtabat, in mediũ abjecit. Ibi ſimiæ ſimulatq; nuces vidiſsent, oblitæ choreæ, id eſse cœperunt quod antè fuerant, ac repentè è ſaltatricibus in ſimias redierunt: contritiſq; perſonis, dilaceratis veſtibus pro nucibus inter ſe depugnabant, non ſine maximo ſpectatorum riſu. Narratur & non abſimilis apologus de fele, quam Venus bellè adornat in pediſsequarum ordinem aſciverat, ac ſatis aptè perſonam tuebatur, donec mure à cano quopiam in medium procurente, declaravit ſeſe nihil aliud eſse quàm felem Adeo ingens naturæ vis eſt, ſemperq; invicta, quam mos nec ullum doctrinæ genus ſuperare poſsit, fixa & mutari neſcia, & quæ in morem Euripi intra ſuos alveos reverti perlubenter ſolet. Expellas illam furcâ tamen uſq; recurret, ut ſi ramum arboris in aliam partem vi detorqueas aut inflectas, ſi remittatur, rurſum vergat côdem quò prius. Tam difficulter ethos emphyes deletur, neq; ingenium nativamq; indolem vulpes aut leones quantumvis cures mutare poſsint, ut hi geminæ feritatis, illæ ſuæ obliviſcantur fraudulentiæ. Tam difficile occultare ingenitos mores, & naturã quam quis habet relinquere aut abjicere, mutare animum, ac ſi quid eſt penitus inſitum moribus, id prorſus evellere. Et natura magis quàm diſciplina trahit nos, & ſequitur ſtudii ſemina quiſq; ſui

XXXIX.

AD PETRVM LEPIDVM, APVD MEdiomatr. cognitorem regium.



Tota licet toto veniat ſollertia ab orbe
Inque vnum artificum conſluat omne genus.
Nunquam ita dedoceant naturæ aſſueſcere catos
Vnca vt non viſis muribus arma ferant.
Neſcia mutari ad mores Natura recurrit,
Et ſequitur ſtudij ſemina quæque ſui.

Graviſsimum imperium conſuetudinis.

Conſuetudinis tantæ ſunt vires, ut non modò naturæ ſimilis ſit, ſed etiam ipſi vim afferre, eamq; ſæpiſsime immutare ac penitus aliã poſſit efficere, dum in eam quodammodo tranſit, mirè efficax ad ſe retinendam, que non patitur ut ad priſtinum habitum, qui ipſi aſſuefacti ſunt revertantur. Atq; adeò ut nihil ferè natura jucundum aut injucundum, ſed omnia talia conſuetudine fieri videamus. Affert illa rebus conſtantiam, & tam bonorum quam malorum longa converſatio amorem inducit. Quin mala quibus aſſueveris non offendũt, ut Mithridati quotidie ſumenti venenum, conſuetudine factum eſt innoxium, & ut callus tempore factus adimit ſenſum, ita diutina mala conſuetudo facit ut levius feramus. Pernoctãt venatores in nive, in montibus, uri ſe patiuntur, pugiles ceſtibus contuſi ne ingemiſcunt quidem, compediti primò ægrè ferunt onera & impedimenta crurium, deinde ubi illa pati aſſueverunt, conſuetudo facilè ferre docet ærumnarum mollimentum graviſsima etiam in familiaritatem adducens. Quin pleroſq; juvat aſſueto vivere ſervitio, compedesq; ſuas ita amant, ut ſe in libertatem aſſerere cùm poſsint, nolint, quale fingitur de Amore capto à Muſis, & in vincula tradito, qui quamvis redimeretur à matre, hærebat tamen illic jam ſervire ſuetus. Qualia Idathyrſus Scytharum Rex (adverſus quem Darius expeditionem fecit) cum ſuaderet Ionum principibus ut ſoluto Iſtri ponte ſeſe in libertatẽ vindicarent, atq; illud facere recuſarent, eos mancipia frugi & à fuga aliena vocare ſolebat. Ab his longè alienus Galeacius Maria Sfortia Franciſci filius, qui cùm à cuſtodia qua detinebatur in Sabaudia evaſiſset, dicebat malle ſe eſse avem ſylveſtrem, quàm cavealem.

XL.

AD IANVM IACOBVM BOISARdum, Veſuntinum.



Aſſuetus cautæ caueam ſic diligit ales,
Vt non quum poſſit, liber abire velit,
Seruitium vitæ longæ aſſuetudinis vſu
Naturam in multis ingeniumq; nouat.

In auribus ſtulti non loquaris.

DIſcipulum habes indocilem, perdis operam, littus aras, ſemina projicis, natura non vincitur. Terræ aridæ colonus ſolve boves, quid te torques? Illi parce & tibi: cùm tot ſint labores neceſsarii & inevitabilés, ſupervacuos quærere ſtultitia eſt. Si docilis eſt virtutum, illic inſta, melioribus illum ârtibus ornaveris: Quod ſi neutrum capiti, vacuum ſine, nève quid in pertuſum vas effuderis, quod neq; ibi ſubſideat, teque jugi tædiò exhauriat. Sic habeto enim: Omnes qui ſunt quiq; erunt, aut fuerunt virtutibus aut doctrinis clari, non poſse unum ingenium accendere, niſi aliquæ intus in animo ſcintillæ ſint, quæ præceptoris ſpiritu excitatæ & adjutæ, generoſum diſciplinæ fomitẽ arripiant. Alioquin algidum in cinerẽ nequicquã flabis. Sincerũ eſt niſi vas, quodcunq; infundis areſcit. In auribus inſipientium ne loquaris, quia deſpicient doctrinam eloquii tui. Teſtam conglutinas qui ſtultum doces, & ſtolidum ſtatua durionem, neq; animum pertuſum unquã explere poteris, ſapientes ſermones hujuſmodi homini infundens. Rudis enim auditis eruditionem non capit, quia nihil intelligunt qui nunquam bona didicêre, Et velut qui excitat dormientes ex alto ſomno, ſic qui ſtulto aliquid narrat, qui tandem ad extremum dicet, quid iſtud eſt? et conſummatione, quid primum? Atque etiam hoc inter Pythagorę ſymbola fuit, Cibos in matulam non eſſe iniiciẽdos, id eſt, in pravũ aninimum urbanos ſermones aut ulla virtutis ſtudia immitti non oportere. Indocilem ergo qui docere velit id ſit canere in auribus aſini, cuius inſignis eſt ſtupor et ignavia, infelixque operam perdat, vt ſi in campum doceat parentẽ currere frœno. Et Scipionis illud fuit proverbium, Aſellum agas, curſum non docebitur, qui & apud Numantiam C. Metello mentis tarditatem ita exprobraſſe fertur, ut dicebat, ſi quintum pareret mater eius aſinum fuiſſe parituram. Qualis Iunius Baſſus appellatus eſt ob ſtuporem, ridiculoſq; mores. Et Cicero in Piſonem, Quid nunc te aſine literas doceam, non opus eſt verbis, ſed fuſtibus.

XLI.

AD CLAVDIVM XONOTVM, Lotharingum.

IN AVRIBVS STVLTI NE LOQVÆRIS.



Qui blanda indocilem lingua diuerberat aurem,
Pierio ſtolidum pectus et imbre rigat,
Infelix operam perdit, ceu currere aſellum
Frænatum qui ſe poſſe docere putet.

AD GE-

Ad Embl. XLII.

Rudis expertum docet.

EVdæmonidas audiens philoſophum diſputantem, ſolum Sapientem bonum eſse Imperatorem, verba quidem iſta inquit admiranda ſunt, ſed qui loquitur nunquam tubæ ſonitu fuit excitatus. Sic Cleomenes Spartę Rex Anaxandridæ filius, Sophiſta quodam de fortitudine diſserente, affatim riſiſse fertur & aures avertiſse, dicentiq; Græculo, quid rides Cleomenes audiens de fortitudine diſſerentem, cum Rex ſis, reſpondiſse, Quia enim inquit, ſi hirundo hæc diceret, idem quod nunc facerem, ſin autem aquila, quietiſsimè audirem. Sic cùm Carthagine Annibal expulſus Epheſum ad Antiochum veniſſet exſul, proq́; eo quod ejus nomen magna erat apud omnes gloria, invitatus eſſet ab hoſpitibus ſuis, ut Phormionem Peripateticum ſi vellet, audiret, cumq́; ſe nō nolle dixiſset, locutus eſse dicitur homo copioſus aliquot horas de Imperatoris officio, & omni re militari. Tum cùm cæteri qui illum audierant, vehemēter eſsent delectati, quærerentq́; ab Annibale quidnam ipſe de illo philoſopo judicaret, Pœnus reſpondiſse fertur multos ſe deliros ſenes ſæpè vidiſse, ſed qui magis quàm Phormio deliraret, vidiſse neminem. Neq; me habēte injuria. Quid enim aut arrogantiùs aut loquatius fieri potuit quàm Annibal qui tot annos de imperio cum populo Romano omnium gentium victore certaſset. Græcum hominem, qui nunquam hoſtem nunquā caſtra vidiſset, nunquam deniq́; minimam partem ullius publici muneris attigiſset, præcepta de re militari dare? Hoc mihi facere omnes iſti videntur qui in rebus imperiti & rudes, veluti errantes peregrini in viis aut qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam, cæci videntibus duces, & ut ſi ſus Minervam, quod ipſi experti non ſunt, id cæteros docere volunt. Leviores enim inexpertorum mentes, & otioſa diſciplinarū tractatio, organico ſimilis eſt corpori animam deſideranti, quæ per ſenſuum experientiam accedat, aut etiam variis ciborum generibus in ventrem congeſtis comparari queat qui calorem ad cōquoquendum poſtulent. Is verò calor non alius fuerit quàm multus uſus & variarum rerum experientiæ. Quin plus ſi ſepares uſus ſine doctrina, quàm citra uſum doctrina valeat.

XLII.

AD GEORGIVM BERTINVM, Medicum Regium.

RVDIS EXPERTEM DOCET.



Ridetur monitor, qui non experta monebit,
Cui rerum et nullus quas docet vſus erit:
Vt ſi perſpicuo queis fulgent lumina viſu,
Commonſtra velit luminis orbus iter.

Ingenium doctrina & literis formandum.

VRſis properatius Lucinæ tempusq; quippe uterum trigeſimus dies liberat: atq; ut plurimùm quinos pariunt, hi ſunt candida informiſq; caro, paulò muribus major, crudis ſanies ſine oculis, ſine pilo, articulamentiſq; membrorum nullis conſpicua, exceptis unguium lineamentis, quam lambendo ſenſim paulatimq; figurant, interdum ad pectora foventes, ut aſſiduo incubatu calefacta, animalem trahat ſpiritum ſic ut lingua ſua tanquã dolabra, membranis quibus fœtus involvitur, conformatis, non genuiſse tantum catulos ſed & opificis more finxiſse videantur. Sic format lingua foetum quẽ protulit urſa, Nec catulus partuq; reddidit illa recenti, ſed malè viva caro eſt, lambendo mater in artus fingit, & in formam quantam capit ipſa reducit. Quo exemplo utitur D. Ambroſius ad nos cohortandos, ne prolem noſtram quantum ad animi rationem pertinet, inſtar urſini partus initio editam, ita informem coaleſcere patiamur, ſed diſciplinarum linguis lambendo curemus, induſtriaque & ſtudio, magis magisque formemus: Diſciplina enim generatio quędam eſt, qua fœtus in animo diſcentis à Doctore perducitur. Et ut viſus à circumfuſo aëre, ſic mens à doctrina lumen ſuum accipit. Nam etſi rerum principia ab ingenio proficiſcuntur, etſi virtus quoſdam impetus à natura ſumit, multoſque homines excellenti animo ac virtute fuiſſe, & ſine doctrina, naturæ ipſius habitu propè diuino per ſe ipſos & moderatos & graues extitiſſe fatendum eſt, ſæpiuſque ad laudem atqua virtutem, naturam ſine doctrina quàm ſine natura valuiſſe doctrinam (neque enim accedimus ijs qui natura cõſtare mores & nihil adiuuari diſciplina putant) tamen hoc contendimus naturam perficiendam doctrina eſſe, & cum ad eam eximiam quidem atq; illuſtrem acceſſerit ratio quædam confirmatioque doctrinæ, tum illud neſcio quid magis præclarum ac ſingulare ſolere exiſtere. Et ut ager quamvis fertilis ſine cultura fructuoſus eſſe non poteſt, ſic ſine doctrina animus. Doctrina vim promovet inſitam irretique cultus pectora roborant.

XLIII.

AD IACOB. COVETIVM, PAC. TH

INGENIV̄ DOCTRINA ET LITERIS FORMANDV̄



Lambendo informem velut vrſa reducera fœtum
Paulatim in formam, quantam habet ipſa, valet.
Sic vim animi innatam ingenuæ vis promouet artis
Roborat et mentem cultus et ingenium.

Carpturus dulcem fructum radicis amaræ.

PAlma cortica eſt cultellato, ideoque aſcenſus eſt difficilis, & periculoſus. Sic via aſſignata virtutibus, primo aditu eſt ardua & confragoſa, ſed ſi quis difficultate ſuperata, in ſummum eius euaſerit, habebit ille de cætero planũ iter, lucidum, amœnumque campum, & omnes laborum ſuorum capiet fructus uberes atque jucundos. Difficilem illa aditum primum ſpectantibus offert, ſed requiem præbet feſſis in vertice ſummo. Quiſquis enim caſus duros virtutis amore vicerit, ille ſibi laudemque decuſq; parabit: Deſinit in adverſa niti qui peruenit ad ſummum, ſcandenti circa ima labor eſt. Virtus per labores incedit, periculis aſſueta, & in difficilibus educata.

Qui cupit optatam curſu contingere metam,
Multa tulit, fecitq; puer ſudavit & alſit.

Nec leuis aſcenſus ſi quis petit ardua, ſudor plurimus hunc tollit, nocturno de ſomnis olivo imoritur, jactat quod mox laudauerat in ſe, qui cupit æternę donari frondis honore. Ardua molitur, ſed nulla, niſi ardua vincunt, ardua per pręceps gloria vadit iter, Nec juvat ex facili lecta corona jugo. Quid autem pręclarum, non idẽ arduum. Cogitet quantã rem petat quamq; nullus ſit hoc propoſito præmio labor recuſandus. Quod ſi mente conceperit, huic quoque parti facilius accedet, vt ipſum iter, neque imperium neque ſaltem durum putet. Neque illum pœniteat duros ſubiiſſe labores, aut operi inſuetas adteruiſſe manus, quod patitur aut paſſurus eſt, gloriæ pars eſt. Spe finis dura ferat, Virtutum pretium putat eſſe ſui, dulcis erit mercede labor, & ſeſe pretio redimet, ipſaque poſſeſſio pleniſſimam ſtudijs gratiam referet.

XLIV.

AD PET. BAILLETTVM, ABBA-tem Riuuanum,



Aſcenſu teneras pueri ſecat aſpera palmas,
Non aliter fructus palma datura ſuos.
Hos aditus primum virtus ſpectantibus offert
Ad ſeſe et præceps ardua monſtrat iter.
Sed quibus ipſa dabit ſummum contingere culmen,
Perpetua hos requies lausq; decusq; manent.

Ad Embl. XLV.

Digna laboratis reſpondent præmia curis.

SVnt rerum vulgò Iudicis qui dicant tribus modis gloriam quæri, gerendo magnum aliquid, quod de te ſcribant auctores idonei, vel ſcribendo aliquid quod mirantur & legant poſteri, vel inſigne aliquod opus extruendo. Quod ut ſit ita, vltimum tamen omnium minimum ac caducum. Neque enim calce & arena & lignis & lapidibus, ſed rebus geſtis, virtutibus & ſcriptis ingenuis quærenda. Omnia quæ manu hominum facta ſunt, vel manu hominum euertuntur, vel ſtando & durando deficiunt, habet manus longè præualidas longa dies, & è cunctis operibus nullum ſenio reſiſtit. Nihil eſt opere aut manu factum quod non aliquando conficiat & conſumat vetuſtas. Nihil quod ſit manibus humanis laboratum quod non aliquando ad interitum redigatur, vel iniuria hominum, vel ipſa eadem confectrice rerum omnium vetuſtate. At verò animi opera videmus æterna. Et quicunque contemptui præſentiū ſtudentes in memoriā monumēta ingeniorum factorumq; magnorum reliquerunt, ii planè mentis ac virtutis ſuæ nomen indelebile quæſierūt. Quare & Servius Tullius Roman. Rex cum eum vrbis rebus ordinatis cupido cepiſſet illuſtri quopiam opere ſempiternā ſui memoriā ad poſteros transmittere, idque animo agitaret & conſideraret priſcorum Regum & clarorum in Repub. virorum monumenta, nec Semiramidem ſatis felicem putauit muris Babylonijs, nec Ægyptios Reges Pyramidibus Memphiticis, parva hæc omnia & temporaria, ſed mentis opera maximè digna laude exiſtimans quorum vtilitas ad plurimos manaret & longiſsimo tempore, præ cæteris Amphictyonis talibus in rebus admiratus eſt induſtriam qui Græcam gentem coegit in concilium, quod Amphyctyonicum ab ipſo denominatū eſt, legeſque tulit quæ communes eſſent omnibus. Sed alijs ingenij monumentis maximè præſtant literaria, quæ ut digniora, ita etiam perenniora eſſe ſoleant. Inter mortalium inventa nihil illis ſtabilius, fluxa hominū memoria, picturæ labiles caducæ ſtatuæ, clarum nomen ſicut ſine virtute non quærente ſic ſine cæteris non ſeruatur. Diutius duret laus literis tradita quàm columnæ aut trophæa lapidibus inciſa quum neceſſe ſit eiuſmodi corporeas formas apud eos duntaxat eſſe apud quos poſitę fuerint, ſcripta autem quæ mentis & rationum ſimulachra continent, vulgari poſſunt, & in cœtus eruditorum edita magnifieri & diligi. *Sequentia verba quære in fine ſub litera I.*

XLV.

AD IACOBVM BONGARDIVM-Bodrianum.



Praxitelis ſerus labor eſt, ſed gloria felix
Quod iam de Pario, marmore ſurgit opus.
Cui non imber edax, cui non ſubducat honores
Flamma ſuos, quod vix diruat ulla dies.
Hinc ſuper ipſe ſua moliri laude laborem
Diſcat et ad vires exigere vſq; ſuas,

Inge-

Dionyſij Lebei-Batillij Emblemata.

Ingenua quiſquis Phœbi clareſcit ab arte,
Cui ſunt & dotes, ingeniiq; vigor.
Quo magis immenſus labor eſt, hoc et, magis idem
Fertilis, et tantò gloria maior erit.

AD

Ad Embl. XLVII.

Hercules Muſagetes.


AEdem Herculis & Muſarum fulvius ille Nobilior qui conſul contra Aetolos miſsus Ambraciam munitiſsimum illorum oppidum totamq; gentem ad deditionem faciendam compulerat, deinde Cenſor factus fuit, in Circo flaminio ex pecunia Cenſoria fecit, non id modò ſecutus quod ipſe literis & ſumma Ennii poëtæ (quem ſecum in Aetoliam duxerat) amicicia duceretur, ſed quòd in Græcia cùm eſset Imperator, acceperat, Herculem Muſagetem eſse comitem ducemquè Muſarum, quam ædem vetuſtate formatam L. Martius Philippus Auguſti vitricus privigno jam rerum potienti reſtituit. Idemquè fulvius Nobilior primus nouem ſigna, hoc eſt, omnium Camœnarum ex Ambracienſi oppido translata ſub tutela fortiſsimi numinis conſecravit, quia mutuis operibus & premiis juvari ornariq; deberent, Muſarum quies defenſione Herculis, & virtus Herculis voce Muſarum. Nempe ut niſi ſint ſtudiorum patroni, maximè verò poëtices, vix ſe poſsint Muſæ licet alatæ tollere humo, & nullis non injuriis ſint expoſitæ, ita fortia facta Muſis & eleganti oratione, ut dicebat Cato Cenſorius indigent, ne ſua gloria fraudentur. *Sequentia verba quære in fine ſub litera I.*

Quare

XLVI.

AD IOSEPHVM SCALIGERVM.

HERCVLES MVSAGETES.



Templa hîc cum Muſis (priſci monumenta Quiritis,
Muſarum Alcides duxq́; comeſque tenet:
Tam bene conueniunt illæ huius, numine tutæ,
Clarus hic illarum vocis & artis ope.

CANICVLI quidam hominis ſimbriam poſſunt mordere, ſed non audent inuadere. Ita hodie ſcioli quidam poſſunt doctorum commentarios reprehendere, non rem ipſam. Quales mordaces Zoili, caniculæ & vitiligatores hîc Ariſtarchi dicuntur, cenſores, emendatores, critici grammatici, qui de libris iudicant, & in alienis ſcriptis, non laudis, ſed culpę annotamentis digna tantum perſequuntur. Ariſtarchus autem fuit quidam Grammaticus, patria Samothrax, ſed habitatione Alexandrinus qui Homericos verſus in ordinem & libros digeſſit, verſusq; nothos adulterinos & ſubdititios obeliſcis, id eſt, minutis verubus pręnotatis dānauit, alios & genuinos, quales quidem ipſi videbātur, aſteriſcis, id eſt, ſtellulis illuſtrauit, ſicq; Homeri negauit quos non probauit. Quemadmodum & hic mos Attico fuit, vt quæ parum probaret in ſcriptis Ciceronis, ea cerulis minutulis notaret. Quem morem & Origenem & D. Hieronymum in literis diuinis ſecutos, quidam ſcribūt. Inde Ariſtarchi cognomen in prouerbium abiit, pro eiuſmodi ſciolo correctore, qui pro arbitrio ſuo alia damnat, alia probat. Quique non opprobriis dignum integer ſed integrum opprobriis dignus latrauerit ipſe Corrigere, & res eſt tanto magis ardua, quanto Magnus Ariſtarcho maior Homerus erat. vt res egregias multo procliuius eſt carpere quam æmulari aut imitari, vt ſequi facilius quam aſſequi. Quare ad doctiſſimum virum quem hic deſigno, & hos verſus latinos factos ex Græcis antiqui Poetæ referre lubeat: Carpunt me plures docti indoctiq;, imitari Hos indoctorum de grege nemo valet.

XLVII.

IN SCIOLOS DOCTORVM ARISTARCHOS.



Vt catuli quem non audent invadere, vanis
Huic imas veſtes morſibus exagitant:
Sic indocta tuos potuit carpſiſſe libellos,
Docte ſenex, non te vincere turba poteſt.

APVD aliquot nationes ſacrum ignem publice cuſtodiri ſolitum legimus. Nam Athenis in Prytaneo ignis ſempiternus aſſeruabatur à mulieribus iam matrimonio ſolutis, & Poliadis Mineruæ templum erat vetuſtum in quo lychnus inextinguibilis & virginum domus fuit. Apud Ægyptios quoque, Perſas & Cappadocas,& Argis in templo Apollinis & Delphis, vbi ad illum ignem de omnibus lignis ſola vrebatur abies. Qualiter & apud Samogitas qui de religione Boruſſorum ſcripſerunt, tradunt in vertice montis ad fluuium Nauuaſſam olim perpetuum eiuſmodi ignem fuiſſe,qui à ſacerdote conſeruaretur in honorem Pargui qui tonitruum & poteſtatum potens à ſuperſtitioſa gente adhuc creditur. Romæ autem alij Romulum alij Numam Veſtæ ædem ſtatuiſſe authores ſunt, eique virgines cuſtodes ignis æterni aſſignaſſe, qui ſi extingueretur,maximum aliquod malum Romanis portendi exiſtimabatur, ea vero cuius culpa id eueniſſet,vt accidit Mithridatico & ciuili bello, verberibus à Pontifice afficiebatur, neque fas erat ex altero igne ſuccendere,ſed nouum ex ſolis radiis elicere oportebat. Sic famæ inuigilandum,cuius damna maiora ſunt quam æſtimari poſſit. hoc ſtudium,hæc cura, hi diurni nocturnique labores, hæ vigiliæ in ea conſeruanda nobis eſſe debent, deque ea ſic pertimeſcere ne in diſcrimen exiſtimationis veniamus, ſed vt integra maneat,neque quidem ex iudicio Chryſippi & Diogenis, qui detracta vtilitate, ne digitum quidem eius cauſa porrigendum eſſe dicebant, ſed ex ſententia eorum qui ipſam propter ſe prępoſitam & ſumendam eſſe cenſuerunt,eſſe hominis ingenui & liberaliter educati, velle bene audire à parentibus, à propinquis, à bonis etiam viris: & vt liberis conſultum velimus,etiam ſi poſthumi futuri ſint,propter ipſos ſic futuræ poſt mortem famæ; tamen eſſe propter rem & detracto vſu conſulendum. Virtutis ergo ſtudioſum eſſe prima ſors ſit, bene audire autem ſecunda felicitas, honeſtus rumor alterum eſt patrimonium. Bonum nomen pretioſius bono oleo, huic aliquid ſemper adiiciendum, vt deliaco, nauigio, quod quum ſubinde ſarcitur & reconcinnatur, veluti perpetuum in multa ſecula redditur. Curæ ergo ſit nominis bona fama,quam tueri facile, extinctam, vt neque ignem, non facile eſt reſtituere. Beatus quem illa amplectitur.

XLVIII.

AD CAROLVM LEBERONIVM EPI-ſcopum & Comitem Valentin. & Dycenſ.



AEternos ignes arcana ſervat in æde
Caſta vigil Veſtæ virgo, miniſtra Deæ,
Hoc nihil eſſe aliud quam ſacram intellige famam,
Cuſtodes cui nos inuigilare decet.

SVNT qui per Pegaſum cœlum petentem, qualem hic depictum vides, & in quibuſdam antiquis numis aſpicere eſt, famam potius quam celeritatem indicari velint. Fingitur autẽ matris de ſanguine natus, Creditur hic cæſæ grauida ceruice Meduſæ Sanguine, reſperſis proſiluiſſe comis, Cui ſupra nubes & ſubter ſydera lapſo Cœlum pro terra, pro pede penna fuit; quod virtus cum terrorẽ amputauerit, cuius hieroglyphicum eſt Meduſæ caput, famam generat quæ vbi primum per hominum ora incipit volare, Muſarum excitat fontem in Parnaſſo, quippe quod illuſtrium virorum præclara facinora vatibus ſuggerunt ſcribendi argumentum. Nunc fruitur cœlo quod pennis ante petebat, Et nitidus ſtellis quinq; decemque micat. Nempe Virtus recludens immeritis mori cœlum, negata tentat iter via, cœtuſque vulgares & vdam ſpernit humum fugiente penna. Dignum laude virum Muſa vetat mori, Cœlo Muſa beat. Sic Iouis intereſt optatis epulis impiger Hercules. Hæc nihil magnum ſinit interire, nil mori clarum patitur, reſeruans poſteris priſci monumenta ſæcli condita libris. Feliciſſimus cui ſua contigerit laudari à docto Poeta, quem ſic fama leuat terra ſublimis, quem ſapientes Muſarum filiæ odæ demulcent eum contingentes, neque calida aqua tantum mollia efficit membra quantum laus citharæ comes, & ſermo cum charitum fauore.

Quem referunt Muſæ, viuet dum robora tellus, Dum
cœlum ſtellas, dum vehet annis
aquas.

XLIX.

AD PETRVM GVALTHERVM-Chavotium.

COELO MVSA BEAT.



Creditus occiſa matris de ſanguine natus
Præpetibus pennis Pegaſus aſtra petit,
Poſtquam iam à caſto domita eſt ſeſſore Chymera,
Deq; ſacro Aonias vertice fodit aquas.
Nempe hæc virtuti reſpondet Fama, viroſq;
Inluſtres cœlo docta camœna beat.

AD IA-

Neqve eſt hoc diſſimulandum quod obſcurari non poteſt, ſed præ nobis ferendum. Trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quiſque maxime gloria ducitur. Opifices etiam poſt mortẽ nobilitari volunt. Quid enim Phidias ſui ſimilem ſpeciem incluſit in clypeo Mineruæ, cum inſcribere nõ liceret? Quid Philoſophi? qui in his ipſis libellis quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt? atq; in eo ipſo in quo prædicationẽ nobilitatemq; deſpiciunt, prædicari de ſe ac nominari volũt? Sed perennitatis atq; diuturni tẽporis vita à nullis magis quam à Poetis ipſis expetitur, cum aliis vtilitas etiã ſæpe quæratur. Pendent de laude, & hanc laboris ſui ducunt ſummam, æternitatẽ famæ ſpe preſumunt, atq; ipſam famam in poſteros præmia poeticæ cogitant pulcherrima, hanc ſolam veram nominari poſſe gloriam, hanc vnam quæ breuitatem vitæ poſteritatis memoria conſoletur, quæ efficiat vt abſentes adſint, mortui viuant: hanc denique cuius gradibus etiam in cœlum videamur aſcendere? Vnde enim illud: Adſpicite ô ciues ſenis Ennij imagine formam, Hic veſtrûm panxit maxima facta patrum. Mercedem gloriæ flagitat ab iis quorum patres affecerat gloria. Idemq;, Nemo me lachrymis decoret nec funera fletu Faxit, cur? volito viua per ora virûm. Nil petitur ſacris niſi tantum fama Poetis, Hoc votum illorum ſumma laboris habet. His fama perennis quæritur vt toto ſemper in orbe legantur, atque ſempiternus ſermo hominum de illis futurus ſit. His ingenium, his dedit ore rotundo Muſa loqui, præter laudem nullius auaris. En quibus indictum eſt vt crimen frondea Phœbi Succingant, Hederæue comas auguſtius vmbrent. Nempe viret ſemper laurus, nec fronde caduca Carpitur, æternum ſicq; habet illa decus. Quare & Poetis tantum vt victoribus olim Ducibus & Imperatoribus dari ſolita, olim clarorum Cæſarum & ſacrorum vatum ſingulare & præcipuum votum. At doctarum hederæ præmia frontium, Frondibus ex hederæ datur apta corolla poetis Qui pallent ſtudiis laude perenne virûm: cum & illa paulatim irrepens, ſupra omnium faſtigia victrix euadat, & ſupremo in vertice dominetur, atque circa vetuſtatem eius opus omne ſit. Et veteres Bacchum quoque Muſarum ducem ſicut Apollinem finxerunt.

L.

AD IANVM ANTONIVM Bayſium.



QVID PETITVR SACRIS NISI TĀTVM FAMA POĒTIS

Aeternum decus eſt hæderæ, & Parnaſſia laurus
Perpetuò ſemper frontis honore viget.
Inde comas meritò cingunt & tempora vates,
Queis æterna ſolet non niſi fama peti.

FRETVS Icarus alarum fiducia quas Dædalus pater à Creta fugiens humeris ipſius nexo opere per lini vincula, & ima parte ceris aſtricta igne ſolutis accommodauerat, dum æthereas it vicino ſole per auras, & incautis nimium temerarius armis, poſitoq; timore audaci fortius arte volat, mox

Vincla labant, & cera Deo propiore liqueſcit,
Nec tenues venti brachia mota ferunt,
Territus à ſummo deſpexit in æquora cœlo,
Nox oculis pauido venit oborta metu,
Tabuerant ceræ, nudos quatit ille lacertos,
Decidit, & vaſtæ nomina fecit aquæ.

At longe diſſimilis eſt ratio & conditio Poetarum, ——*quos Phœbus ad aurea cœli*
Limina ſublimis Iouis omnipotentis in aula
Siſtit, & ætherei monſtrat commercia cœtus.
Et ſacri vates & Diuûm cura vocantur.

Quos etiam ſunt qui numen habere putent, qui hanc quidem quęſitam meritis ſumunt ſuperbiam, vt Delphica lauro cincti comas, atque eandem manu geſtantes, vt Apollini notiores ſe & commendatiores exhibeant (qualis Homericus ille ſacerdos in caſtra Græcorum veniens captiuam Chryſeida filiam redemptum) auſint ſe credere cœlo, & præeunte Muſa, ipſius Apollinis ope tuti, audacem ſcriptorum pennis tentare viam, ſic late longeque diffuſa laude vt eorum gloriæ domicilium orbis ipſius & iiſdem quibus Apollinis, id eſt, Solis curſus finibus ac regionibus terminetur, nec ingenio quæſitum nomē ab æuo Excidat, ac illis ſtet ſine morte decus. Macte Poppæe, & non metuenda non metue, qui nihil paruum aut humili modo, nihil mortale loqueris, qui non ceratis ope Dædalea niteris pennis vitreo daturus nomina ponto. Dum Muſarum purus Phœbique ſacerdos non vſitata nec tenui penna per liquidum æthera vates tendis in altos nubium tractus. Macte, quem multa leuat aura cygnum, quem laude ſua vigentem Muſa ipſa referat, quem cœlo inſinuet, cœlo & Phœbus pater afferat ipſe.

LI.

IN MVSAM CHRISTIANAM PETRI Poppæi Barroſequanenſis I-C.

POETARVM GLORIA.



Iactatis pennis audete credere cœlo
Poppæe, æthereas atque agitare vias.
Hoc tua quæ potuit tibi ſic diſponere Muſa.
Remigium alarum prævia Muſa reget.
Cedet & ipſa tuis impulſa volatibus aura,
Et tenues venti brachia mota ferent.
Nec dubita, nec tuta time, vel ut Icarus alter
Inde novis faciat nomina lapſus aquis.

Dædaleum hîc nihil eſt, non ceris igne ſolutis
Muſa tibi & lino nexuit iſtud opus.
Nata tibi à puero rata ſed connubria cœli
Et Phœbo ut Muſæ ſubdita cura tui eſt.
In manibus lauro, lauro inductaq; capillis
Agnoſcet vatem per ſua ſigna Deus.
Inq; ſuos tollet currus, tibi grande referre
Toto & quem luſtrat, nomen ab orbe dabit.

AD PHI-

Ad Embl. LII.

SIc à ſummis hominibus eruditiſſimiſque accepimus, cæterarum rerum ſtudia & doctrina & præceptis & arte conſtare: Poetam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi diuino quodã ſpiritu afflari. Quare ſuo iure Ennius ſacros appellabat Poetas, quod quaſi Deorum aliquo dono atq; munere cõmendati nobis eſſe videantur. Atque in multis adhuc infantibus præuiſa eſt huius artis futura ſingularis ſuauitas & elegantia, quale de Pindaro fertur, cui in cunis paruulo dormienti apes in labellis conſederint. At mihi quæ nõ montem Hymetum thymi flore redolentem, ſed Muſarum Heliconios colles Dearum inſtinctu depaſtæ, maximo ingenio dulciſſima poetici mellis alimenta inſtillaſſe videantur. Nouem ſiquidem Lyricorum longe princeps, ſpiritu, magnificentia, ſententiis, figuris, beatiſſimaq; rerum verborumq; copia, & velut quodam eloquentiæ flumine, monte decurrens velut amnis, imbres quem ſuper notas aluêre ripas, feruet, immenſusque ruit profundo Pindarus ore: propter quæ Horatius merito credidit nemini imitabilem. Sed & Muſæ amicorum linguis rorem inſtillare, & apes Muſarum eſſe dicuntur volucres, (quod ſi quando diſplicatæ ſunt, cymbalis & plauſibus & numero reducuntur in locum vnum, & vt Muſis Helicona atq; Olympum attribuerunt, ſic his floridos ac cultos natura attribuit montes) Poetæ autem lacte ſimul & melle paſci, quorum & quidam in huius dulcedinis commendationem Apes, alij Muſarum apes, alij Muſarum propitiarum faui, & ab Apibus nutriti dicti ſint (vt de Comata paſtore legitur) & Ariſtæus paſtor Muſarum, quod primus apes & mellis vſum adinuenerit. Et Virgilij: Ipſe puerperiis adriſit lætior orbis. &, Præterea, ſi vera fides, ſed vera probatur, Lata cohors apiũ ſubito per rura iacentis Labra fauis texit, dulces fuſura loquelas. Et ita demum quemcunq; veteres ab eloquentiæ ſuauitate commendarunt, eum ab apibus nutritum dicebant. Hoc quondam in ſacro mirata Platone Iudicium linguæ memorat famoſa vetuſtas; cuius dormientis in cunis paruuli labellis mel apes inſeruerint. Quod & Agathocli & D. Ambroſio & aliis contigiſſe narratur, vt taceam de Steſichoro, in cuius infantis ore luſcinia concinuerit in prodigium dulcedinis futuri Poetæ.

LII.

AD PHILIPPVM CANAIVM-Freſneum.



Naſcenti, ingenÿ primis iam certa diebus
Dircæo hæc vati ſigna fuiſſe ferunt.
Cui myrti ramos inter laurúq; iacenti
Paruula dum molli membra quiete levat.
Muſarum volucres ceu circum alvearea fuſæ
Dulci inſtillato nectare labra rigant.
At mihi, quæ hyblæus, non meſſos collibus hortos,
Non violam, aut cytiſos, Cecropiumve thymum.

Dionyſij Lebei-Batillij Emblemata.

Divarum inſtinctu ſed totum Helicona videntur
Depaſtæ, dignis depoſuiſſe fauũ.
Tantum illi augurium dignæ dare & omina tanta
Gloria qui vatum tanta futurus erat.

Ad Embl. LIII.

LESBIA eſt hæc fabula. Cum Orphea Threſſæ mulieres dilaniaſſent, ferunt caput vatis vna cum Lyra cum primum Hebrus excepiſſet, in nigrum pontum eiectum, ac ita ſimul nataſſe caput ac Lyram, illo lugubre quiddam in Orphei necem canente, Lyra vero ventis chordas percellentibus reſponſante, donec ad Lesbum appellerentur, vbi incolæ fluctibus vtriſque ereptis, caput ſepulchro condiderunt, Lyram autem ſuſpenderunt in templo Apollinis, in quo multo tempore eſt cuſtodita. Poſtea verò quum Neanthus Pittaci tyranni filius, ea quæ de Lyra narrabantur audiſſet, arbores & feras traxiſſe, in eius venit habendæ deſiderium: quare ingenti pecuniarum vi corrupto ſacerdoti perſuadet Orphei Lyram alia ſuppoſita ſibi det, qua accepta parum tutum ratus interdiu hac in vrbe ludere, nocte ſinu occultam efferens, ſolus in ſuburbium pergit. Quo vbi venit, Lyram pulſare incipit, ſed vt erat rudis ac ineruditus adoleſcens, chordas confundebat, cum bellus ipſe ſibi placens ſperaret fore vt diuinum aliquod carmen percuſſæ fides redderent, quo cunctos permoueret, & animi affectus quo vellet, traheret, vt hoc nomine beatus haberetur Orphei muſices hæres. Quæ dum agit, vicini canes eo ſonitu exciti coëuntes Neanthum infelicem cytharædum diſcerpſerunt. Qua fabella (cui iungere liceat hiſtoriam illius qui Epicteti Stoici lychnum fictilem trecentis denariis mercatus erat, ſperans fore ſcilicet vt ſi noctu ad iſtam lucernam legiſſet, mox Epicteti ſapientiam ſomniaret, & ſimilis illi efficeretur) illudere liceat eos qui cum à poetis carmen aliquod ſuſtulêre, tum demum læti & glorioſi ſe omne punctum tuliſſe, omnemq; artem poeticam adeptos putant, ac veluti Æſopianus graculus & Horatij cornicula alienis induti plumis bellas ſe aues, ita illi poetas ſe arbitrantur: cum non Lyra ſit, ſed ars quæ homines & feras lenierit, Lyra nihil à quibuſuis barbitis differente, neque efficiente vt concinnum quiddam inſpiret quicunque eam didicerit: vt neq; indoctus, cui tot libri ſint quot Athenis in Italiam aduexit Sylla, ſuper quibus dormiat, quoſque affixos ſibi vbiq; circumferat, ideo eruditior ſit futurus, Simia enim eſt ſimia etſi aureum cultum geſtet: Neque qui Herculis arcus habeat qui Philoctetes non ſit, qui ſolus tendere potuit, & quod collimaſſet figere: facinus edat dignum ſagittandi perito. Neque Therſites ſi adeptus ſit Achillis arma, ideo Achillem ſe alterum factis profiteatur.

AD IIII.

LIII.

AD IANVM BONEFONIVM, I.C.

EXITVS ΚΑΚΟΖΗΛΙΑΣ.



Threicij vatis (poſtquam furialiter illum
Sacrilegæ Ciconū diripuere nurus)
Sumpſerat hic cytharam, qua ſe quoque ut Orpheus alter
Sperabat, motas ducere poſſe feras.
Indocto ſed dum pertentat pollice chordas,
Stridentem miſerè ſollicitatq; chelyn.
Horribili exciti coëunt modulamine cantus
Inſulſum vatem dilaniantq; canes.

AD FRAN-

INTER ea quæ Agrigenti erant, fuit & templum Iunoni Laciniæ ſacrum, in quo tabula erat eximio diuæ ipſius ſimulachro inſignis, quā facturus Zenxis, qui pulchriora omnia in pingēdo exprimere ſoleret, tumq; longe cæteris excellere pictorib. exiſtimabatur, omnes Agrigentinorum virgines nudas inſpexiſſe fertur, è quarum numero delectis quinq; forma præſtantiſſimis, reductiſq; in iudicium ſingulis ſingularum membris, quod in vnaquaq; laudatiſſimum erat, in effingenda Deæ imagine reddidit. Quam Hiſtoriam alij de Helenæ tabula apud Crotoniatas referunt, qui publico de conſilio ex virginibus ſuis formoſiſſimas, quas idem Zenxis ſibi præberi volebat dum tabulam pingeret, vt mutum in ſimulachrum ex animali exemplo veritatem transferret, in vnum locum conduxerunt, & pictori quas vellet eligendi poteſtatem dederunt. Ille autem quinque delegit, cum non putaret omnia quę quæreret ad venuſtatem, vno in corpore ſe reperire poſſe, ideo quod nihil ſimplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expoliuit: Itaq; tanquam cæteris non ſit habitura quod largiatur, ſi vni cuncta conceſſerit, aliud alij commodi aliquo adiuncto incommodo minuatur. Atq; omnis vitæ ratio ſic conſtat, vt quæ probamus in aliis facere ipſi velimus: Sic pictores opera primorum, ruſtici probatam experimento culturam in exemplum intuentur. Et hercle neceſſe eſt aut ſimiles aut diſſimiles bonis ſimus. Similem raro natura præſtat, frequenter imitatio. Et præter id quod prudentis eſt, quod in quoq; optimum eſt ſi poſſit ſuum facere, tum in tanta rei difficultate vnum intuentis, vix aliqua pars ſequitur. Ideo cum totum exprimere quem elegeris, pene ſit homini inconceſſum, plurium bona ponamus ante oculos, vt aliud ex alio hæreat, & quo quidq; loco conueniat aptemus: melioribus nos offeramus (& par eſt melioris eſſe qui ex melioribus) quæ maxime excellant in eis quos imitabimur, quæ in ſingulis ad decus laudemq; inſignia erunt, quæ apud vnumquemq; ex multis videbuntur eſſe præſtantiſſima, ea exprimere, atq; diligentiſſime, vt ſi multis ex fontibus riuum quendam deducentes in animum noſtrum deriuemus, proſequi conemur. Stultiſſimum ſit ad imitandum non optima quæq; proponere.

LIIII.

AD FRANCISCVM PERROTVM. Mæſiereum, Pariſ.



EX OPTIMIS PRÆSTĀTIORES VITÆ MAGISTROS IMITĀDOS

Iunonis, divâ dignos dum effingere vultus
Vellet, & exactum reddere pictor opus.
Ex *Agrigentinis ſelectas quinque puellas*
Ante oculos fertur propoſuiſſe ſibi.
Quarum imitaretur formæ, quos, noſſet honores,
Vna in quaque magis quodque, nitere decus.
Hinc tu quos ſupra ire alios probitate videbis,
Exemplar vitæ ſumere diſce tuæ.

Fortvnam rotundo ſaxo inſiſtentem, volubili ſede, pingebant veteres, quo nec huic fidem haberi, nec quicquam firmum putari tutoue poſſideri, aut pro ſuo teneri quod illi acceptum referatur, deſignarent. Nihil enim obſtare quo minus ea eripiat & alteri tradat, vt ſæpe facere ſolet. Sapientiam contra ſede firma & inconcuſſa in quadrato ſtatuebāt, quod quadranguli figura in quamcunq; partem voluatur, quoquouerſum iacta verſataque fuerit, ſui ſimilis rectaque ſemper conſiſtit. Quali maxime delectabantur Arcades in dierum ſuorum ſimulachris: vt etiam Hermæa illa Mercurij ſigna à firmitudine denominata, apud Athenienſes fieri ſolita quadrati erant lapides, vt ſignificaretur rationē & veritatem perinde vt formam quadratam, rectam ſemper ſtare. Qualiter & in tabula illa in æde Saturni depicta fuit Eruditio, cui duæ aliæ matronæ, filiæ eius, vt videbatur, adſiderent, Veritas & Suadela, indicio & viatoribus viam ad eam eſſe tutam ac firmam, & munerum eius, videlicet fiduciæ, ſecuritatis & vacuitatis à perturbationibus, fructum accipientibus ſecurum. Talis Sapientia nos à formidinum terrore vindicat, & ipſius fortunæ modice ferre docet iniurias, & omnes indicat vias quæ ad quietem & trāquillitatem ferant: ſolaq; in ſe verſa eſt, & omnia quæ homini accidunt, infra ſe eſſe iudicat. Et quem non mouiſſet imago à Sextio illo Romano poſita, ire quadrato agmine exercitum, vbi hoſtis ab omni parte ſuſpectus eſt, pugnæ paratum? Idem, aiebat, Sapiens facere debet, Omnes virtutes ſuas vndiq; expandat, vt vbicunq; infeſti aliquid oritur, illic parata præſidia ſint, & ad nutum regentis ſine tumultu reſpondeant: quod in exercitibus his quos Imperatores magni ordinant, fieri videmus, vt imparium ducis ſimul omnes copiæ ſentiant, ſic diſpoſitæ vt ſignum ab vno datum peditem ſimul equitemq; percurrat. hoc aliquanto magis neceſſarium eſt. Illi enim ſæpe hoſtem timuêre ſine cauſa, tutiſſimumq; illis iter quod ſuſpectiſſimum fuit. Nihil ſtultitia pacatum habet, tam ſuperne illi metus eſt quam infra: vtrunq; trepidat latus, ſequuntur pericula & occurrunt, ad omnia pauet, imparata eſt, & ipſis terretur auxiliis. Sapiens autem ad omnem incurſum munitus & intentus, non ſi paupertas, non ſi luctus, non ſi ignominia, non ſi dolor impetum faciat, pedem referet. Interritus & contra illa ibit & inter illa, plenus gaudio, hilaris, placidus, inconcuſſus cum Diis ex pari viuit. Solus quæcunq; inciderit fortuna, non mutat animum, vere quadrangelus, quadratus & perfectus. Res magna, habere imbecillitatem hominis, ſecuritatem Dei.

LV.

AD IOAN, CAS SANIONEM.



Quadratæ ſtat fixa baſi ſapientia cunctas
Qui premat & partes angulus omnis adeſt.
Nempe inconcuſſa & ſtabili pede ſola perennis,
Et quoquo verſa eſt, una eademq; manet.

INCREDIBILIS vis Philoſophiæ eſt ad omnem fortuitam vim retundendam. Beatus ille qui malum in bonum vertit, certus iudicij, inconcuſſus, intrepidus, quem fortuna, quũ in eum̃ quod habuit telum nocentiſſimum vi maxima intorſit, pungit, non vulnerat, & hoc raro. Nam cætera eius tela (quibus genus humanum debellatur) grandinis more diſſultant, quæ incuſſa tectis, ſine vllo habitatoris incommodo, crepitat ac ſoluitur. Munita eſt, ſolidaque philoſophia, in cuius corpore nullum telum ſedet, quædã defatigat, & velut leuia tela laxo ſinu excludit, quædam diſcutit, & in eum vſque qui miſerat, reſpuit. Inexpugnabilis eſt hic murus, quem fortuna multis machinis laceſſitum non tranſit. Intus inſtruamur: ſi illa pars tuta eſt, pulſari homo poteſt, capi non poteſt. In inſuperabili loco ſtat animus qui extrema deſeruit, & arce ſe ſua vendicat: infra illum omne telum cadit. Fortuna leuis & imbecilla ab animo firmo & graui tanquã fluctus à ſaxo frangitur, nec frangit. Non habet illa vt putamus, longas manus, neminem occupat niſi hærentem ſibi. Itaque quantum poſſumus, ab illa reſiliamus, quod ſola præſtabit ſui naturæq; cognitio. Sciat quo iturus ſit, vnde ortus, quod illi bonum, quod malum ſit, quid petat, quid deuitet, quæ ſit illa ratio quæ appetenda ac fugienda diſcernat, qua cupiditatum manſueſcit inſania, timorum ſæuitia compeſcitur. Nihil indignetur ſibi accidere, ſciatque illa ipſa quibus lædi videtur, ad conſeruationem vniuerſi pertinere, & ex his eſſe quæ curſum mundi officiumque conſummant. Placeat homini quicquid Deo placuit, ob hoc ſeipſum ſuaq; miretur, quod non poteſt vinci, quod mala ipſa ſub ſe tenet, quod ratione, qua valentius nihil eſt, caſum doloremq; & iniuriam ſubigit. Ama rationem, huius te amor contra duriſſima armabit. Honeſtum, ſecurum & expeditum eſt, interritum eſt, in procinctu ſtat. Quid ergo? non aliquid perturbationi ſimile patietur Sapiens? non & color eius mutabitur, & vultus eius agitabitur, & artus refrigeſcent? & quicquid aliud non ex imperio animi, ſed inconſulto quodam naturæ impetu geritur: fateor, ſed permanebit illi perſuaſio eadem, nihil illorum malum eſſe, nec dignum ad quod mens ſana deficiat.

LVI.

AD CLAVDIVM PVTRANVM SENAtorem Pariſienſem.



Illiſa ut tectis crepitans ſalit horrida grando
Cum fremitu, tectis nec tamen illa nocet.
Sic fortuna minus ſapientem oppugnat & urget,
Inq; illum bruto fulmine caſſa ruit.

 AD NI-

HOc laboramus errore, ſic nobis imponitur, quod neminem æſtimamus eo quo eſt,ſed adiicimus illi & ea quibus adornatus eſt. Atqui cum voles veram hominis æſtimationẽ inire, & ſcire qualis ſit,nudum inſpice,ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipſum exuat, animum intuere, qualis quantuſque ſit,alieno an ſuo magnus. Et tranquilliſſimus ille ad perfectum venit, qui nec ablatum ſibi quicquam ſentit,nec adiectum, ſed in eodem habitu eſt, quocunq; res cadunt: cui ſiue aggeruntur vulgaria bona ſupra res ſuas eminet, ſiue aliquid ex iſtis vel omnia caſus excuſſit, minor nõ fit, cui bona ſua nulla vis excutit,omnis in ipſo cenſus ineſt,vt multum demas, nõ minus exhauſto quod ſuperabit,erit: quiſquis abſtulerit diuitias,omnia illi ſua relinquet. Siquidem bona illa ſunt vera quæ ratio dat, ſolida ac ſempiterna, quæ cadere non poſſunt, nec decreſcere aut minui: cætera opinione bona ſunt, & nomen quidem habent commune cum veris,proprietas in illis boni non eſt.Sapiens nihil perdere poteſt quod perire ſenſurus ſit,omnia in ſe repoſuit,nihil fortunę credit, bona ſua in ſolido habet,contentus virtute quæ fortuitis non indiget, idemq; nec augeri nec minui poteſt,& ſi magnas facultates amittat, arbitratur tamen ſe drachmæ vnius feciſſe iacturam: Omne intra ſe bonum terminabit,& dicet quod Bias interrogatus cur nihil exportaret rerum ſuarum ex incendio patriæ, Omnia mea bona mecum porto (pectore enim illa geſtabat non humeris, nec oculis videnda, ſed animo æſtimanda quæ domicilio mentis incluſa mortalium manibus labefactari nequeunt.) Vel quod Stilbon ille dixit(de dicti auctore poteſt dubitari,de dicti ipſius maieſtate ac ſapientia nequaquam,ſiue id Bianti ſiue Stilboni aſcribas) qui capta patria, amiſſis liberis,amiſſa vxore,cum ex iudicio publico ſolus & tamen beatus exiret,interroganti Demetrio Poliorceti,num quid perdidiſſet, Omnia,inquit, bona mea mecum ſunt. Ecce vir fortis & ſtrenuus,ipſam hoſtis ſui victoriam vicit. Nihil,inquit,perdidi;dubitare illum coegit an viciſſet. Omnia mea mecum ſunt, Iuſtitia, Virtus,Temperãtia,Prudentia; hoc ipſum,nihil bonum putare quod eripi poſſit. Miramur animalia quædam quæ per medios ignes ſine noxa corporum tranſeunt, quanto his mirabilior vir qui per ferrum & ruinas & ignes illæſus & indemnis euaſit? Qui ſe habet,nihil perdidit, ſed quoto cuique habere ſe contigit?

LVII.

AD NICOLAVM VIGNIERIVM BARroſequanenſem, medicum & hiſtoricum regium.



BONA FORTVNÆ SAPIENS IN BONIS NON PONIT.

Cui non hic felix, omnis cui cenſus in ipſo eſt,
Atque illæ quas non perdere poſſit, opes?
Detrahat ut multum cui vel fortuna bonorum,
Cui bona vel reſtent integra tota tamen?
Qualis qui patriæ effugiens incendia, undas
Dicebat ſecum ſe omnia ferre ſua?
Nempe ea quæ intra, nos vere hæc ſunt, noſtra vel in quæ
Fortuna ipſa queat iuris habere nihil.

AD IO-

COchleæ terreſtres aquatileſque exerentes ſe domicilio, binaque ceu cornua protendentes, ceu contrahentes, oculis carent, itaque corniculis prætentant iter. Tanto te impenſius æquum eſt conſulere, atque omnes metuentum expendere caſus: Qualem Lacedæmoniorum populum fama eſt cunctatorem fuiſſe, & vix in ea quibus fideret, ingredientem: qualis & cunctator naturâ fuit Suetonius ille Paullinus, cui cauta potius conſilia cum ratione, quam proſpera caſu placerent. Conſulta bis & ter quod tibi in mentem venerit, ne tibi ipſe nocuus ſis. Tibi explorentur eundęque vitandęue viæ, cõfuſus paſſim ne rerum per opaca vageris luſtra. Quicquid eſt, da ſpatium & tempus tibi. Deliberandum eſt diu quicquid ſtatuendum eſt ſemel. Deliberare vtilia, mora eſt tutiſſima. Mora omnis odio eſt, ſed facit ſapientiam. Qui non conſilio ſe ſuaque diſponunt, eorum more qui fluminibus innatant non eunt, ſed feruntur. Priuſquam incipias conſulto, & vbi conſulueris, mature opus facto eſt. Meditare atque conſulta quæ facturus es, cunctanter, diligenter vero quæ decreueris exequere, quoniam periculoſa res eſt admodum inconſiderata in rebus temeritas, & reipſa compertum eſt, quantum boni ſit in prouidentia, quantum inconſulta apportent incommodorum & malorum, ac longe præſtare ſalutarem moram præproperæ feſtinationi, quantumuis initio ſpe bona blandienti. Omnia non properanti clara certaque erunt, feſtinatio improuida eſt & cæca. Quod ratio nequit, ſæpe ſanauit mora. Animus vereri qui ſcit, ſcit tuto aggredi. Romanam vnus homo cunctando reſtituit rem aliorum ducum inauſpicata celeritate iam ad extrema redactam. Et Artabanus Xerxi diſſuadens expeditionem in Græciam, Nimia feſtinatio, aiebat, ſæpe in maxima detrimenta inducit: at in cunctando bona inſunt, quæ ſi non ſtatim talia videantur, tamen ſuo tempore bona quis eſſe comperiet.

LVIII.

AD IOANNEM LOBETIVM, I. C.

CVNCTANDVM SAPIENTI.



Suſpenſo ut Cochleæ figunt veſtigia greſſu,
Tutamq́; explorant cornibus antè viam.
Sic caſus omnes Sapiens expendit, & omni
Quæſita ante, moræ ſedulus eſſe ſolet.

Q   AD LV-

NOCTVÆ interdiu clariſſima ſolis luce caligat aſpectus & non mediocriter offuſcatur, noctu tamen igniculi famam auſpicatur. tota res notiſſima Lesbo patrium temeraſſe cubile Nyctimeren: auis illa quidem, ſed conſcia culpæ Conſpectum lucemque fugit, tenebriſq; pudorem Celat, & à cunctis expellitur æthere toto. Ideo & noctis domina perhibetur, vnde illi nomen, & ſcribunt quidã eam comedi prohibitam, quia lucis beneficio nocte polleat, interdiu cæcutiat. Talis fere Parra auis, licet grandibus oculis. Tales gemmæ illæ noctu lucidæ, interdiu inutiles. Sed & quidam eo ingenio ſiue vitio oculorum ſunt vt de die cæcutiant, in tenebris cernant, qualem Eudoxus Rhodius circa Celticam dicebat eſſe quandam nationem, quæ interdiu nihil, noctu duntaxat videret, quales feruntur & Albani quidam populi, quibus glauca oculis ineſt pupula, ideoque nocte plus quam die cernunt. His & noctuæ perſimiles qui vanæ ſapientiæ ſtudio incumbunt, quorũ mens acutiſſima quidem ad vanas res perſpiciendas eſſe videtur, hebetiſſima vero caligineque referta ad ipſam lucem veram percipiendam euadit: qui ſapiunt vbi nihil eſt opus, quum opus eſt, ibi dormiunt, ignaui bubones, veri veſpertiliones, quibus ad minuta & tenebroſa cæſij acres & acuti oculi igne micantes, ſyderibus certantes & ſimiles lucidum fulgentes vt poſſint illis quantum contendere lynceus, vt tam cernant acutum quam aut aquila aut ſerpens Epidaurius: ſed qui ad veræ Sapientiæ lumen, videant quantum noctuæ vident manè, intellectum ſuum æterni ſolis radiis illuminari non ſinant, contraq; diem radioſque micantes obliquantes ipſi oculos ſuos, rebelles lumini, cuius ſplendoribus feneſtras & oſtia omneſq; introitus claudant, ideo etiam cæci, talpa & Leberide cæciores & quibus oculos ſtupor vrget inertes, ideoque digni qui per diem incurrant tenebras, & quaſi in nocte, ſic palpent in meridie. At, ſi lux tenebræ, quid tenebræ tandem erunt?

LIX.

AD LVDOVICVM SERVINVM, IN SEnatu Pariſienſi aduocatum regium.



Conſcia nunc etiam culpæ fugit improba larem
Myctimene, volucris crimine facta ſuo,
Solis & occaſum ſeruat, triſteſq; tenebras,
Queis acri viſu ſydereóq; micat.
Aſcalaphus & ſunt tam grandia lumina, noſtris
Queis nihil in media luce videre queunt.
In tenebris lynceum cernunt, vanóq; ſagaci
Ingenio in rebus conſilioq; vigent.

FABVLOSISSIMA fere eſt antiquitas, & antiquiſſima quæque commentitia: pertica pictorum, veri nihil, omnia ficta. Sic nos fallit ſpatioſa vetuſtas, ſic verum falſo ſimplexq; vario, ſic miſcet humana diuinis, ſic fucatis variare dictis paginas nouit, nec aperta quicquid veritas prodit recinit per æuum ſimplice lingua. Sic monſtroſa Hiſtoriæ forma variis ſcriptionibus ſibiipſi diſſimilis apparet, qualem fingunt Poetæ Protea antiquiſſimum maris Deum ſenem polymorphon & ſubinde vultus mutantem in quaslibet rerum ſpecies, omniaque transformantem ſe in miracula rerum. Nam veteres illi Herodotus Cteſiaſque Cnidius, atque his ſuperiores, denique Homerus ipſe viri celebres, mendaciis etiam ſcriptis vtebantur, vt non ſolum eos fallerent à quibus tunc audiebantur, verum vſq; ad nos etiam mendacium per manus traditum perueniret, in pulcherrimis verſibus ſeruatum: vt quum cœli ſectionem, ac Promethei vincula recenſent, Gigantumq; rebellionem, atque omnem illam de inferis tragœdiam, & quo pacto ob amorem Iupiter in taurum & cygnum verſus ſit, & quemadmodum ex muliere quiſpiam in auiculam vrſamue mutatus ſit: Pegaſos præterea, Chimeraſque & Gorgonas ac Cyclopas, atque id genus omnia, admodum abſurdas monſtroſaſque fabulas, & quæ mentes puerorum afficere queant, qui laruã adhuc lamiamq; metuunt. Sed non multo verecundiores, qui apud Cretenſes ſepulchrum Iouis oſtendi tradũt, Erichthonium editum è terra, primoſque illos homines in Attica olerum more è terra emerſiſſe, ex ſerpẽtis dentibus ſatiuos quoſdam progerminatos, Triptolemum in alatis draconibus per aëra vectum, Orithyiam Athenis ab Aquilone ſublatam, inambulantem poſt exceſſum ſuum Romulum Proculo Iulio dixiſſe ſe Deum eſſe, & Quirinum vocari, templumq; ſibi dedicari iuſſiſſe, cum Ægeria collocatum Numam, ab aquila Tarquinio apicem impoſitum, Albano Muſas in monte locutas, & cætera eiuſmodi diphthera ipſa vaniora & ad oſtentationem ſcenæ gaudentis miraculis aptiora quam ad fidem.

LX.

AD IOANNEM ALTISSIODO-
renſem I. C.

ANTIQVITAS FERE FABVLOSISSIMA



Quantò annoſa magis, magis eſt fucata vetuſtas,
Mixta canens veris falſa, profana ſacra.
Antiqua ut viridi premitur circundata muſco,
Atque aliud ullum, non decus, arbor habet.

AD EMBL. LXI.

QVOD videmus accidere pueris, hoc & nobis quoque maiuſculis pueris euenit, quibus metus incutit vmbra & perſonarum deformitas, & deprauata facies; lachrymas vero euocant nomina parum grata auribus, & digitorum motus, & alia quæ impetu quodam erroris improuidi refugiunt: Etiam quos amant, quibus aſſueuerunt, cum quibus ludunt, ſi perſonatos vident, expauefcunt, diffugiunt viſu exangues, ſola & inani opinione afflicti. Non hominibus tantum, ſed & rebus perſonæ demenda eſt, & reddenda facies ſua, videndum quid in quaq; re ſit, tum ſcies nihil eſſe in plerifq; terribile niſi ipſum timorem. Et vt manducos, Pythones, perſonæ pallentis hiatus, laruas & mormolycea eiuſmodi & alia terricula formidantibus pueris in manibus tradimus & inuertimus, quo re perſpecta, vanos terrores contemnere aſſueſcant: ita nos quoque quod verum & falſum, quod fragile & vanum, ac tragicis fabulis eſt perſimile, diligentiſſima conſideratione quaſi manibus pertractantes, detergere oportet, ne imponant nobis venefici & præſtigiatores illi maleficarum artium inuentores, qui quia bonæ artes ipſis deſunt, dolis atque fallaciis contendunt, & mendaciis aſſueti, fucati, eruditi artificio ſimulationis, multis inuolucris tegunt, & quaſi velis quibuſdam religionem & veritatem obtendunt, qui in profundo demerſam eam tenent, nihil illi relinqui, opinionibus & inſtitutis omnia teneri volunt, omnia latere cenſent in occulto, neque eſſe quidquam quod cerni aut intelligi à nobis debeat. Et Cimmeriis quidem quibus adſpectum ſolis ſiue Deus, ſiue natura ademerat, ſiue eius loci quem incolebant, ſitus, ignes tamen aderant, quo tum illis vti lumine licebat. Iſti autem tantis offuſis tenebris ne ſcintillam quidem vllam nobis ad adſpiciendum reliquerunt. At tollite ſigna illa fucata ſanctimoniæ & probitatis ſpecies, tollite pompam iſtam ſub qua latetis & ſtultos territatis, prǽſtigias & captiones illas & quam tantum temporis ſub leonis pelle ridiculam ſimiam circumfertis, date aſpici propius, attrectari, excuti, in manus ſumi, ſane vehementer puer ſit qui talibus terriculamentis expaueſcat, & rerum occultarum ignoratione ſublata, cognitionis regula & iudicio ab eadem illa conſtituto, verum à falſo ſtatim non diſtinguat.

LXI.

AD COSMVM CLAVSSEVM-MARchomontium Epiſcopum Catalaunenſem, Parem Galliæ.



Aſpicis ut vano larvæ terrore tremiſcat,
Exanguis viſu diffugiatq́; puer?
Vixque animus redeat, nî commonſtratur in anis
Inq́; manus illi larua terenda datur?
Confuſam arripiunt multis Telchinea, mentem
Orgia, lymphato ſollicitantq́;, motu.
Quæ propius perſpecta, ſtatim ſe ludicra produnt,
Illaq́; póſt tantum pertimuiſſe pudet.

Adver-

CANCRIS genuinum obliq; ingredi, & vt ait faceti∫∫imus Poeta: Vt Cancer recta ambulet, haud effeceris vnquam. Atq; hi cum à te capi facillime poſſe putes, retrouerſum ſeſe velociſſimo curſu eiaculantur: vnde vulgo etiam in aliqua re falſis, quam ſe nactos iam arbitrarentur, cancrorum venationem obijcimus. Cuius eiuſdem ſubterfugij cauſa, cum his Sophiſtas conferre liceat, genus tanquam Hippocentaurorum compoſitum quid & miſtum, in medio ſuperbiæ & philoſophiæ errans, neque ignorantiæ finem imponens, qui opinationem & temeritatem circa omnia potius quam veram ſcientiam habent, contentioniſque ſtudio delectati, vt fallunt ea nos vitia quæ virtutem videntur imitari, ſic illam diſputandi prudentiam concertatione pertinaci captationeque verborum imitantur, quæſtiunculas ſemper aucupantur, & quaſi præſtigiis quibuſdam vtentes, adoleſcentulos procul à veritate rerum adhuc exiſtentes decipere valent, imagines quaſdam veriſimiles loco verarum rerum auribus inculcando, adeo vt vera eloqui, omniumque hominum eſſe in omnibus ſapientiſſimi videantur: ſed quos vbi validiori aliqua ratione deuictos comprehenſoſque putes, tum retro fugaci curſu elapſi pro diuerticula, maiorem priore tibi laborem intentant ſi eos conſectandi curam ſuſceperis. Adeo varium hoc animal, & vt prouerbio fertur, non altera manu duntaxat apprehendendum. Quare ioculoſe fabulatur Plato Herculem tot immanium monſtrorum domitorem, etiam aduerſus cancrum deſudaſſe. Qualem nugatorem & garrulum velutque mercatorem & cauponem cœleſtis doctrinæ, fugientem & caſſa parantem ſuffugia, memini ante aliquot annos, à te vir maxime, oppreſſum, cum primũ quidem pacifice ſatis exorſus eſſet, cæterum procedente aliquantum diſputatione, intenderet vocem vſque ad tonum ſeu modum quem orthium vocant, vt exinde, cum nimium diſtenderetur atque eloqui magna contenderet, & facies illi magis rubeſceret, & collum intumeſceret, & venæ extentiores apparerent, perinde vt tibicinum ſolent quando anguſtam tibiam inflare vi coguntur: paulatim vero ineptior ille, poſtremo omnium ineptiſſimus iudicaretur, qui nulla de re præcipue grauiori vel quid vel quanta vel qualis eſſet, intelligeret.

LXII.



IN SOPHITAS THEOLOGOS.

Adverſo ut preſſus Lernæus ab Hercule Cancer
Nequicquam, mouit callidus artis opem.
Sic trepidum nuper, fruſtra retroque ferentem
Aduerſos paſſus (qua celer arte poteſt)
Sic à te & fruſtra conantem, multa Sophiſtam
Vidimus oppreſſum, Vezeliane rapi.

R AD HO-

QVEMADMODVM membris vtimur prius quam didicimus cuius ea vtilitatis cauſa habeamus, ſic inter nos naturâ ad ciuilem communitatem coniuncti & conſociati ſumus. Quanta autem vis Amicitiæ ſit, ex hoc intelligi maxime poteſt quod ex infinita ſocietate generis humani, ita contracta res eſt & adducta in anguſtum, vt omnis caritas aut inter duos aut inter paucos iungeretur. Eſt autem Amicitia nihil aliud niſi omnium rerum cum beneuolentia & caritate ſumma conſenſio; qua quidem haud ſcio an excepta ſapientia quicquam melius homini ſit à Deo immortali datum. Diuitias alij præponunt, bonam alij valetudinem, alij potentiam, alij honores, multi etiam voluptates: beluarum hoc quidem extremum eſt, illa autem ſuperiora caduca, & incerta, poſita non tam in noſtris conſiliis, quam in fortunæ temeritate. Qui autem in virtute ſummum bonum ponunt, præclare illi quidem, ſed hæc ipſa virtus amicitiam & gignit & continet, nec ſine virtute amicitia eſſe vllo pacto poteſt. Quin Poetæ volunt homines conciliatoris Dei ductu amicos fieri, dum aiũt, Deus ſimilem ſemper ducit ad ſimilem & notum facit. Quare & Amicitiam Deam inter ſua numina gentes collocauêre, quamuis eius aras non legamus, nec imagines.

Sed forma hic iuuenilis indicat amicitiam ſemper recentem, nullaque temporis diuturnitate tepeſcentem. Atque tanto certior eſt, quanto vetuſtior, quia facile mutari non poteſt quod per longa ſæcula cuſtoditur.

Nudum caput, vt omnibus pateat. Nullis repudianda eſt amicitia ſeſe ingerentis ad amicitiam copulandam. Amicus prompto & patulo amicitiæ ſinu receptandus. Neque vllo vnquam tempore amicum publice ſuum fateri erubeſcit.

Rude Amicitiæ indumentum, quod amicus non vlla ardua extremamq; inopiam pro amico ſubire recuſet. Amicus ab inimico non faciei lineamentis aut nomine diſcernitur, ſed vſu & operibus. Nihil ſic probat amicum quemadmodum oneris amici ſupportatio. Nemo niſi per amicitiam cognoſcitur, & ideo amicorum mala firmiter ſuſtinemus, quia bona eorum nos delectant & tenent. Cæteræ res quę expetuntur, opportunę ſunt ſingulę rebus fere ſingulis, diuitiæ vt vtare, opes vt colare, honores vt laudere, voluptates vt gaudeas, valetudo vt dolore careas, & muneribus fungare corporis: Amicitia res plurimas continet, quoquo te verteris præſto eſt, nullo loco excluditur, nunquam intempeſtiua, nunquam moleſta eſt. Secundas res ſplendidiores facit, & aduerſas patiens communicanſque leuiores, quas ferre difficile eſſet ſine eo qui illas grauius etiam quam te ferret. Neq; amicus eſt qui fortunæ particeps non eſt, & qui amici onera & incommoda quaſi iuncto humero ſimul non portet. Neque facile diiudicatur amor verus & fictus niſi aliquod incidat eiuſmodi tempus, vt quaſi aurum igne, ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſſit. Si iacturæ rei familiaris erunt faciendæ, labores ſuſcipiendi, adeundum vitæ periculum, ne tum quidem amicus ſe reſpicit & cogitat

ſibi

LXIII.

AD HONORATVM MAVROY, Tricaſſ.



At quam te memorem ſeu virgo, ſeu Dea fare,
Seu Dea, ſeu virgo, qualis & vnde genus?
Et Dea ſum, & virgo, poſitis pro nomine ſignis
Nota ſatis, Ioue quæ ſum ſata AMICITIA.
Cur iuuenis forma? non me ætas ipſa Sibyllæ
Non mutent & quæ tempora cuncta trahunt.
Cur tibi detectum caput eſt? Pateo omnibus, & non
Vllum vllus pudor eſt eſſe negare meum.

Quid toga tam lacera eſt? Alcidæ ferre labores
Vna Iri poſſum pauperiemq́ pati.
Sed vitæ & mortis titulos quid fimbria præfert?
Ad mortem vſque meus continuatur amor.
Cur AEſtas & Hyems porrata in fronte notantur?
Vera fides quouis tempore firma manet.
Cur tibi ſic latus eſt ipſumq́ ad pectus apertum?
Ipſum animi, nudo ſic penetrale, mei.
Brachium at inclinans digito quid cordea monſtras?
Cordi vt lingua & opus convenienter eant.
Quid cordi hæc inſcripta tuo LONGE *&* PROPE *ſignant?*
Abſens vt præſens ſic mihi ſemper adeſt.

FINIS.

ſibi quemque natum eſſe & ſuis voluptatibus: vadem ſe ad mortem tyranno dabit pro amico, vt Pythagoreus ille fecit Siculo tyranno: Pylades cum ſit, dicet ſe eſſe Oreſtem, vt moriatur pro amico, aut ſi ſit Oreſtes, Pyladen refellet, ſe indicabit. Verus amicus ſtatuit omnem cruciatum perferre & intolerabili dolore lacerari potius quam aut officium prodat, aut fidem. Quare nihil Amicitiâ melius arbitrabantur Scythæ, neque erat in quo magis gloriarentur quam in adiutandis amicis, communicandiſq; rebus acerbis, quemadmodum neque probrum apud eos maius vllum quam amicitiæ deſertorem videri: quodq; alij in ambiendis coniugiis, id illi in amicis non grauabantur, diu quaſi procos agentes, & vbi iam in amicitias cæteris repulſis (admittebant autem ad huiuſmodi fœdera ad ſummum tres) delectus erat quiſpiam, protinus fœdus inibatur, ac iuſiurandum quod eſſet maximum, nimirum & victuros eos paritis, & mortem oppetiturum, ſi ſit opus, alterum pro altero. Etenim ſimul atq; inciſis digitis ſanguinem in calicem infudiſſent, ſummiſque intinctis gladiis ambo pariter admonentes, bibiſſent, nõ erat quicquam quod deinde illos poſſet dirimere. Ideoq; quod Oreſtes & Pylades in hac amicitia præſtantes extitiſſent, Coraci ab eis vocabantur, id eſt, Amicitiæ præſides.

Vita & Mors in veſtimento Amicitiæ quod qui vere diligunt, vſque ad mortem amant, Quos neque diſiungat fœdere ſumma dies. Amicitiæ ortus à natura, & quia natura mutari non poteſt, idcirco veræ amicitiæ ſempiternæ ſunt. Quanquam nihil difficilius quam amicitiam vſque ad extremum vitæ diem permanere, cum ſæpe mutentur mores hominum, alias aduerſis rebus, alias ætate ingraueſcente.

Æſtas & Hyems: Quia deſultoria non debet eſſe amicitia, tempori tantum ſeruiens, vt ex vſu & cõpendio amantis inſtituta, ideoq; mutabilis & varia pro conditione temporum. Ex amore amicitiæ nomen eſt ductum, quam ſi ad fructum noſtrum referemus, non ad illius commoda quem diligimus, non erit iſta amicitia, ſed mercatura quædam vtilitatum ſuarum. Prata & arua & pecudum greges diliguntur iſto modo, quod fructus ex eis capiuntur: hominum caritas & amicitia gratuita eſt. Sed quid? quam graues quam difficiles pleriſque videntur calamitatum ſocietates? ad quas non eſt facile inuentus qui deſcendat. Quamquam enim Ennius recte, Amicus certus in re incerta cernitur, tamen hæc duo leuitatis & infirmitatis pleroſque conuincunt, aut ſi in bonis rebus contemnunt, aut ſi in malis deſerunt. Qui igitur vtraque in re grauem conſtantem ſtabilem ſe in amicitia præſtiterit, hunc ex maxime raro hominum genere iudicare debemus, & pene diuino. Firmamentum autem ſtabilitatis conſtantiæq; eius quam in amicitia quærimus, fides eſt. Nihil enim ſtabile eſt quod infidum eſt. Amicis ſtat ad finem longa tenaxque fides. Theſeus vetat tranquilli comitem temporis eſſe fidem. Turpe referre pedem nec paſſu ſtare tenaci, Turpe laborantem deſeruiſſe ratem. Turpe ſequi caſum & fortunæ cedere, amicum Et niſi ſit felix eſſe negare ſuum.

Latus apertum vſque ad cor habet Amicitia, quia nihil amicus amico celat. Solatium huius vitæ eſt vt habeas cui pectus tuum aperias, cui arcana communices, cui ſecreta pectoris tui committas. Liceat qualis ſit vnuſquiſq; videre diſciſſoque pectore & animo perſpecto, vbi poſt rurſum clauſeris, amicum ſincera mente hominem æſtimare. Quod ſi in ſcena, id eſt, in concione in qua rebus fictis & adumbratis loci plurimum eſt, tamen verum valet, ſi modo id patefactum & illuſtratum eſt: quid in amicitia fieri oportet quæ tota veritate perpenditur? in qua niſi, vt dicitur, apertum amici pectus videas tuumque oſtendas, nihil fidum, nihil exploratum habeas, ne amare quidem aut amari poſſis, cum id quam vere fiat, ignores? In pectore amicus quærendus eſt, illo recipiendus eſt, illic retinendus, & in ſenſus recondendus.

Brachium inclinat & digito cor oſtendit, vt opus cordi & cor verbis reſpondeat.

Longe & prope quod ſcriptum eſt, indicat veram amicitiam nullo tempore aboleri nec locorum intercapedine diſiungi. Boni viri nec interuallis locorum nec temporis diuturnitate ſuum amorem imminui patiuntur, amicum abſens abſentem auditque videtq; & amicus adeſt creberrimus abſens. Amicus ſi ſim toto licet abſtrahar orbe vel æuo, non animo diuiſus agam: amicitiam hanc non terris abſentia longa diremit nec perimet. Et ſi eſſe vna minus poterimus quam volumus, animorum tamen coniunctione, iiſdemq; ſtudiis ita fruemur, chariſſime & amiciſſime Conſobrine, vt nunquam non vna eſſe videamur.

SEQVITVR RESIDVVM TEXTVS IN PAraphraſi, ſuis locis ad quæque Emblemata pro literarum ſignatura annectendum.

B.

Ad Emblema XXII.

QVi memoriam diſcordiarum obliuione continua deleri non ſinunt, qui in hoc vlcere tanquam vnguis exiſtunt, obductamq; fere reip. cicatricem refricare non ceſſant, qui pacem multo reparatam ſanguine irritam faciunt, ſemperque fraudi aliquam iuris ſpeciem imponunt, vt facilior eſt inter malos conſenſus ad bellum, quam in pace ad concordiam: procellæ patriæ, turbines & tempeſtates pacis atque ocij, deteſtabiles ciues reip. nati, ſi ciues aut homines habendi ſunt, qui ciuile bellum profligatum ac pene ſublatum renouare concupiſcunt: efficiuntq; vt dum leuati morbo videremur, in eundem de integro incidamus, vehementiuſque laboremus: quos delubro concordiæ totas faces immittere iuuet, vt nihil in rerum natura tam ſacrum eſt, quod ſacrilegum non inueniat. Qui denique ferro, qui metu, qui edictis, qui priuilegiis, qui præſentibus copiis proditorum, abſentis exercitus terrore, & minis, conſulum ſocietate, & nefario fœdere oppreſſam tenent remp. cui vt Helena Troianis, ſic illi, vt belli, ita cauſa peſtis atque exitij futuri ſunt. Quorum ſane nomina dolendum eſſet ex hominum memoria excidere, vt quos infamiam & dedecus in præmium ſuorum ſcelerum eorumque poſteros reportare ſatius ſit.

C.

Ad Emblema XXIII.

Et Hyperdocus ille Perithædes Athenis homo ex nullis audaciam ſumens opibus, ſed ex audacia ad opes promotus, factus eo quem in ciuitate habebat honorem ignominia ciuitatis, cum nempe diſtracta tunc in duas factiones ciuitas audaciſſimis & verſutiſſimis locum daret. Sic in rerum tumultu pro tempore Pars humili de plebe duces, pars compede ſuras Cruraq; ſignati nigro renitentia ferro Iura regunt, coquus hic, hic leno, hic ſæpius emptus, Alter ad Hiſpanos nutritus verna parentes. Et quid iam mirum ſi dominatus Sylla eſt quum Glauciæ & Saturnini exigerent vrbe Metellos, Conſulum filij in concione occiderentur, auro & argento arma pararent, milites redimentes ferro & igni, leges figerent, vim adhibentes repugnantibus?

D.

Ad Emblema XXIX.

Interritus & contra pericula it, & inter illa, neque illis vndique imminentibus,

alliſerit virtutem,nec abſconderit. Sed quanto illa maiora ſunt, tanto maiorem ſibi hanc aduocat, velut cum hoſte noto ac ſæpe iam victo acrius ſit congrediendum, hac ſe ſuſtentat, hac ſe inuoluit vt hac vna contentus huius vnius in poſſeſſione eſſe videatur, ex qua depelli nunquam poſſit, & vt arbores ventis agitatæ altius radices agũt, ſic illa arctiſſimis defixa radicibus, aduerſitatum flabris impulſa, minus labefactari, minus dimoueri loco poteſt. Eſſe aliquid inuictum, eſſe aliquem in quẽ nihil fortuna poſſit, à Republica humani generis eſt. O fama ingens, ingentior armis vir maxime, cuius Herculeum tantis numen non ſufficit actis, macte iſta virtute, ſic itur ad aſtra, ſi te nulla dies tam fortibus auſis diſſimilem arguerit.

E.
Ad Emblema XXX.

Et ad eximiam quoque gloriam ſæpius fortunæ quam virtutis eſt beneficium. Multi ad Pompeianum illud elogium, maiore fortuna, quam ſapientia, quibus domientibus Dij omnia conficiunt, quibus nihil agentibus in ſinum de cœlo inſperata etiam decidunt. Sic Timotheus Dux Athenienſium nulla prudentia nulloque conſilio tot victorias aſſecutus, tot vrbes domuiſſe narratur, vt quidam pinxerint illum dormientem, fortuna interim circumeunte, & vrbes in vnum rete contractas ei tradente. Sic Vitellio principatum detulere qui ipſum non nouerant, ſtudiaq; exercitus raro cuiquam bonis artibus quæſita perinde affuere quam huic per ignauiam.

F.
Ad Emblema XXXV.

& hac illacque ducimus. Dictus inde Archimedes Geometricas omnes facultates, quæ quinque cenſentur, in vnum tractoriæ huius machinæ corpus coniunxiſſe: de qua cum & ad Hieronem Syracuſarũ Regem ſcripſiſſet, tanta vi quaſlibet moles librari & verſari poſſe, imo etiamſi altera terra ſuppeditaret, digreſſum in illam, hanc ſede ſua emoturum; rogatus ab eodem Rege, vt fidem rei faceret, tum ipſe procul ſedens nauem onerariam ex regio demptam nauali, quæ trahi in terram, niſi ingenti labore & per multos homines non poterat, impoſitis multis vectoribus onereque, non magno conatu, ſed ſenſim rectam, nec vſquam hæſitantem ac quaſi per mare attraxit currentem. Inde ille mirabilis inuentor ac machinator bellicorum tormentorum operumque quibus ea, quæ hoſtes ingenti mole agerent, ipſe perleui momento ludificaretur.

Macte iſta virtute Ioan. Traualti, qui nouam ſpeciem huius artis, ab intellectu in opus educere & rationem aliqua ex parte per ſenſum vſui aptatam in me-

dium

dium proferre ſtudes. Sine effectus artium tuarum recognitos, aliquid nobis afferre voluptatis, & quam vtiliter excogitatæ ſint, patêre, ſine lucido in loco reponi, & laborem tuum in his edendis ſuo fructu non carere.

G.

Ad Emblema XXXVII.

Non ſanguinis ordine licet materno generoſior ortu, ſed meritis & virtutis honore Vlyſſes aduerſus Aiacem Achillis propoſita arma petebat. Nec vllum cenſeri laude ſuorum velim ſic vt nihil ipſe futuræ laudis agat, miſerum eſt alienæ incumbere famæ, ne collapſa ruant ſubductis tela columnis: nomenque ſuum alienis obumbrare virtutibus, & in illis non in ſuis habere præſidium, ne vnoquoque ſuum repoſcente nudus ipſe de proprio rideatur. Fumus hic eſt obſoniorum qui tantum nares prouocat, non nutrit, ita neminem beat parentum aut ſtemmatum ſola antiquitas, ſed duntaxat virtutis admonet. Verus nobilis non naſcitur, ſed fit, & ipſa claritas non naſcendo quæritur, ſed viuendo: perit omnis in illo nobilitas, cuius laus eſt in origine ſola. Quis ergo generoſus? ad virtutem bene à natura compoſitus. Quis alio nobilior? cui rectius ingenium & bonis artibus aptius:

O qui nominibus cum ſis generoſus auorum
Exuperas morum nobilitate genus.
Felix qui tantis animum natalibus æquas
Et partem tituli non ſummam ponis in illis,
Nam quanquam antiquæ gentis ſuperant tibi laudes,
Non tua maiorum contenta eſt gloria fama,
Nec quæris quid quaque index ſub imagine dicat,
Sed generis priſcos contendis vincere honores,
Quam tibi maiores maius decus ipſe futurus.

H.

Ad Emblema XXXVIII.

Difficilia enim debent eſſe quæ exercent, quo ſit leuius ipſum illud in quod exercent, vt athletæ ponderibus plumbeis aſſuefaciunt manus, quibus vacuis & nudis in certamine vtendum eſt. Ferenda difficilia vt facilius difficiliora feramus, Fac tibi cõſueſcat nihil aſſuetudine maius, Quam tu dum capias tędia nulla fuge: Labor continuus conſuetudine fit ſeipſo leuior. Huiuſmodi principiis tempore duramentum & robur accedit, & animus duris rebus aſſuetus, minus offenditur, vt iumenta quorum in aſpero indurata eſt vngula, quamlibet facilius patiuntur viam. Sic infici puer iam debet in artibus, quas ſi, dum eſt tener

combiberit, ad maiora veniet paratior, ſic anguſtam pauperiem pati acri militia condiſcere, vitamque ſub dio & trepidis agere in rebus. Sic præbendus laboribus vt contra ipſos ab ipſis duretur, quemadmodum & Perſæ & Lacedæmonij & veteres Germani liberos inſtituere ſolebant. Sic labores vltro ſuſcipiendi, vt etiam adacti ferendis ſufficere queamus, quale inter labores voluntarios & exercitia corporis ad fortuitas patientiæ vices, firmamentum hoc Socrates facere inſueuerat, vt pertinaci ſtatu perdius atque pernox à ſummo lucis ortu ad ſolem alterum orientem ſtaret inconniuens, immobilis iiſdem in veſtigiis & ore atque oculis eundem in locum directis cogitabundus. Adeo magna res eſt conſtantia, & in propoſito ſuo perſeuerantia, vt ad contemnendam malorum patientiam, animus patientia perueniat. Labor eſt vnus temporu prima pati.

Ad Emblema XLV.

Marmora Smyrnęi vincunt monumenta libelli, Viuitur ingenio, cętera mortis erunt. Et chartis nec furta nocent nec ſecula præſunt Solaque non norunt hæc monumenta mori; ſunt illa ære perenniora, regalique ſitu pyramidum altiora quæ non imber edax non Aquilo impotens poſſit diruere aut innumerabilis annorum ſeries & fuga temporum. Cogites ergo velim mortale corpus omnes nos habere, ſed gloria, laudibus, perpetuitate famæ, compotes immortalitatis fieri, cuius cupiditate omnes vires exerendæ nulliq; labores recuſandi, ſed quãto breuior vita eſt iſta qua fruimur, tanto longior memoria noſtri efficienda, & is demum viuere atque frui anima videtur qui artium bonarum famam quærit. Tanto magis hoc quicquid eſt temporis futilis & caduci ſtudiis proferamus & quatenus nobis denegatur diu viuere, relinquamus aliquid quo nos vixiſſe teſtemur. Breuior fama quæ humanæ vitæ ſpatio terminatur. Tentanda via eſt qua te poſſis tollere humo, victorque virûm volitare per ora; Condere victuras tantiſper ſæcula chartas, Et nomen flammis eripuiſſe tuum: Molire animum qui duret, & eo impende laborem vnde diuturnus honos ſperetur. Theſauros ingenij & eruditionis tuę aperi, vt nomẽ tuum ab obliuione vindices, qui non claudam vt ait Plato, vitam exegeris. ſic tu ipſe potiſſimum tui præco in medio terrarum orbe ſtabis. Arduum hanc parare gloriam, ſed parata nunquam intermoritur, & reſponſura tuo par fama labori.

Ad Emblema XLVI.

Quare rex Laconum Muſis ante pugnam ſacrificabat vt præclaris geſtis pręclaræ orationes contingerent. Sic ipſe per Auſonias Æneia carmina gentes qui ſonat, Ignotus populis, ſi Mecœnate careret. Sic vetuſtatis memoranda cuſtos regios

regios actus ſimul & fugaces temporum curſus docilis referre aurea Clio, nihil magnum ſinit interire, nil mori clarum patitur, reſeruans poſteris priſci monumenta ſæcli condita libris, Neque officio vatum per carmina facto Principibus res eſt aptior vlla viris, Neque ſi chartæ ſilcant, quod bene feceris mercedem tuleris. Quid foret Iliæ Mauortiſque puer ſi taciturnitas obſtaret meritis inuida Romuli? Ereptum Stygiis fluctibus Æacum virtus & fauor & lingua potentium vatum diuitibus conſecrat inſulis. Dignum laude virum Muſa vetat mori, Cœlo Muſa beat, ſic Iouis intereſt optatis epulis impiger Hercules. Sic magnæ ſtrenuitates tenebras multas habent quum hymnis carent, qui factis diuturnius viuunt, & vt aurum excoctum fulgores ſuos patefacit, ſic illi virum qui res præclaras geſſit, reddunt regibus parem ſorte. Et maior fuit fama Vlyſſis quam ea quæ pertulit, propter ſuauiloquum Homerum. Qualem Alexander deſiderauit ſibi dari ad res ab ipſo geſtas immortalitati conſecrandas.

Qua fuit arte pergratus Ennius Scipioni Africano, Euripides Archelao, Auarreon & Æſchylus Polycrati, Simonides Hieroni Syracuſano, Aratus Antigono, Virgilius Auguſto, Horatius Mœcenati, & alij aliis.

FINIS.

Errata ſic corrige.

In præfat. linea 29. pro quando, quarto.
Emb. 1. Verſ. 3. pro flamine, ſtamine.
Emb. 2. in paraphraſi lin. 13. pro ſeruitute, ſenectute.
Emb. 3. in paraphra. lin. 4. & fere prius deſunt. lin 16. pro auguſto, anguſto. lin. 25. nihil ſentiant.
Emb. 5. Verſ. 1. Cruda Vt adhuc.
Emb. 8. in paraph. lin. 1. Aeſchylus Athenienſis. lin. 15. fugacem perſequitur Vitam.
Emb. 9. Ver. 1. maculoſa. Verſ. 4. Et nil non nobis.
Emb. 10. Verſ. 4. pro color, dolor.
Emb. 11. in paraph. lin. 13. Naturæ ipſi Vim afferre. Boues ad arandum. lin. 16. pro differentem differentem.
Emb. 12. in paraph. lin. 17. obedienter. Verſu 1.
Iudice nempe Deo ſic ſortis alea noſtra,
Talorum Vt luſu teſſera miſſa cadit.
Verſus 4. Corrige aut caſus qua datur arte, decet.
Emb. 13. in paraph. lin. 18. atq; in nubem cogitur aer. Verſ. 1. Qui te cunq; premat.
Emb. 15. Verſ. 2. Nec ſeſe ipſe mouens.
Emb. 16. Verſ. 2. Sulcos obliquant,
Emb. 17. in paraphraſis principio,
Qui quodã Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemq;
Mille Viis habuiſſe dolũ, qua ſigna ſequendi
Falleret &c. Verſ. 1. pro iſtius, iſthinc.
Emb. 18. Verſ. 2. concipit integras.
Emb. 19. in par. lin. perit ſorex. Verſ. 3. oſtentat.
Emb. 20. in paraph. lin. 2. pro periculoſam periculoſum. lin 25. efferentem ſe fortunam. Ver. 1. Ipſa ſui nimia eſt.
Emb. 21. in par. lin. 15. pro mentes, montes. lin. 26. mole ruit. lin. 35. talia Vino. Verſ. 9. At tu iracundos ignes.
Emb. 22. Verſ. 2. Vicinas rapiant incendia.
Emb. 24. in paraph. lin. 28. pro dæmon dum, lege, Dæmonium. Verſus 3. ſibi rerum in turbine quærant. Verſ. oppoſitas acies.
Emb. 25. in paraph. lin. 8. & exultantem euertit.
Emb. 26. in par. lin. 6. altera alterã inflammat, donec ſinguli. lin. 12. Vulnus exire: cadentes. li. 17. pro ſeu ceu. li. 24. multiplici nexu. li. 28. patria noſtra. Ver. 2. nodis implicuitq; draco.
Emb. 27. in paraph. lin. 7. pro iudiciũ, indicium. Verſ. 2. proſpera ſigna dabit.
Emb. 28. in parap. lin. 25. Quali ſymbolo. lin. 29. ſine cognatione, ſine domo ſit. Verſ. 4. cum baccis oleam cuſpide tacta Dea.
Emb. 29. in paraph. lin. 29. pro hoc habet, lege habet. lin. 30. Verſantur, ſuperat: ita. Verſ. 2. intonet illa minas. Verſ. 4. cladibus obturat, Verſ. 11. Sthenelius hoſtis. Verſ. 15. exurgere perge labores.
Emb. 30. in par. lin. 3. conſilia proſpere. lin 5. male conſulta quum hoſtes. li. 14. nonnullis proſpere. lin. 18. pro ſeculo, œſtro. Verſ. 4. res bene ſemper eunt.
Emb. 31. lin. 20. pro Voluerit, Voluens. li. 26. Verba hæc paulo inferius ſequentia (infuſus, geſtaminis lapſi tinnitus abrumperet ſomnum) lege poſt Verba (ſopor laxaſſet.)
Emb. 32. in para. lin. 15. Palladis Vbiq; armatæ. lin. 18. pro laurea, lancea. lin. 28. dominari.
Emb. 35. lin. 8. ab imbecilli ſene. li. 25. pro aluum, alnum, 26. non Violentia. lin. 27. Verba iterata dele. 33. Sic nunquam.
Emb. 37. in paraph. lin. 11. pro Veritatem Varietatem. Verſ. 13. Iuſtitiamque.
Emb. 38. Verſ. 2. poſtmodo ferre.
Emb. 39. in par. lin. 3. Quod hic de ſeſe. lin. 18. pro adornat, adornatam. lin. 19. pro cano, cauo.
Emb. 40. Verſ. 1. Aſſuetus cauea.
Emb. 41. in par lin. 15. pro areſcit, aceſcit. lin. 19. pro auditis, audiens. lin. 22. & in conſultatione, lin. 30. pro dicebat, diceret.
Emb. 42. in par. lin. 20. pro habente, hercule. lin. 32. ad concoquendum. Verſ. 4. cum monſtrare.
Emb. 43. li. 3. tempus eſt, quippe. li. 5. pro crudis, rudis. li. 12. partu quum reddidit. li. 33. rectiq; cultu.
Emb. 44. lin. 3. palma cortice eſt. 17. ex ſomnis.
Emb. 45. lin. 3. ſunt rerum Vulgo iudices. lin. 5. quod mn ẽtur. li. 33. quæritur, ſic ſine literis.
Poſt Verſum quartũ hoc diſtichon inſerendũ
Sed doctæ durant Viuuntq; in ſecula Muſæ
Solaq; non norunt hæc monumenta mori.
Emb. 46. in paraph. lin. 11. Vetuſtate deformatam. lin. 12. rerum potiente. li. 15. & præmiis.

FINIS.

A 22

SPECIAL 89-13
777